
INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY


INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

PHILOXENI, TIMOTHEI, TELESTIS

DITHYRAMBOGRAPHORVM

RELIQVIAE.

DE EORVM VITA ET ARTE COMMENTATVS EST,
CARMINVM FRAGMENTA COLLEGIT
ET EXPLICVIT

Dr. GEORGIVS BIPPART,
SOCIETATIS GRAECAE LIPSIENSIS SODALIS.

Commentatio de sententia Amplissimi Ordinis Philosophorum Ienensis primario praemio ornata est III. Sept. MDCCCXXXVIII.

LIPSIAE, MDCCCXLIII.
SVMPTIBVS C. FR. KOEHLERI.

PRAECEPTORIBVS OPTIMIS

GODOFREDO HERMANNO,

FERDINANDO HANDIO,

CAROLO GOETTLINGIO

VENERABVNDVS

D. D. D.

GEORGIVS BIPPART.

PRAEFATIO.

Amplissimus Ordo Philosophorum Ienensis anno MDCCCXXXVII. hanc proposuit quaestionem:

Philoxeni, Timothei et Telestis dithyrambographorum vitae describantur, reliquiae poematum ita colligantur, ut totum huius poeseos genus declaretur.

Cuius quum commentatione oblata solvendae periculum fecissem, contigit mihi, ut anno sequenti primarium praemium deportarem. Iam vero tunc ut scriptio mea typis exprimeretur ipse nolui satiusque duxi, ut aliquanto post recognita et emendata in publicum prodiret. Itaque ubi praeter academiam Ienensem etiam Berolinensi et Lipsiensi frequentatis anno h. s. quadragesimo cursum academicum absolvi, commentationem retractavi formamque eius, quum in sententiis plerisque persisterem, plane aliam reddidi. Ita autem hoc munere functus sum, ut brevitati studens accurateque antiquorum scriptorum vestigia persequens a coniecturis, quae eorum auctoritate parum niterentur, et ipse caverem et earum, quae ab aliis propositae essent, raro mentionem facerem. Sed huic studio deditum in media via cursum me sistere susceptumque munus in meliora tempora differre coegit oculorum morbus. Qui quum pertinacior esset ac demum anno

proxime praeterito superaretur, non ante hanc aestatem scriptionem interceptam recipere et ad finem perducere conatus sum. Interea autem praeter alios duo libri, qui ad rem a me tractatam maxime pertinent, O. Muelleri historia literarum graecarum et Th. Bergkii poetae lyrici graeci, editi erant. Eorum igitur rationem habui atque e Muelleri quidem libro in annotationibus ea adscripsi, quae ad rem illustrandam facerent, Bergkii autem liber quum iteratam ut versibus et verbis constituendis tribuerem curam me impulit, tum animum, cui semper timor obiiciebatur in fragmentis colligendis plurima me latuisse, eo magnopere mihi erexit, quod unum tantum exhibet fragmentum nondum a me investigatum. Sed etiam nunc non sine animi quodam angore has studiorum meorum primitias publico iudicio trado, spero tamen veniam me impetraturum esse ab aequis iudicibus, si in quaestione difficili et impedita saepius a vero aberraverim. Quod quidem mihi accidisse eo minus infitias ibo, quum unum certe errorem etiam ipse cognoverim. P. 8. enim Lasum dixi primum in dithyrambis antistrophas non adhibuisse. Quod quum non sine dubitatione et plus aliorum sententiis quam meo iudicio confidens scripsissem, iam denuo collatis quae huc faciunt locis persuasum habeo nondum a Laso, sed a Melanippide minore id factum esse. Postremo hoc quoque deprecandum puto, ut, si in laudatis libris quaedam minus recte indicata occurrant, id non tam negligentiae meae tribuatur, quam loci importunitati, per quam libros illos plerosque mihi non licuit denuo inspicere.

Haec quum libello in lucem prodituro praefatus essem, contigit, ut Casellis mihi eximia liberalitate Schneide-

wini dissertatio de Philoxeno Cytherio offerretur, quam Bergleinius Brunopolitanus nuper ad summos in philosophia honores impetrandos scripsit. Puto igitur e re esse, si hoc loco, quantum fieri potest, de ea retulero.

Disputationis ratio, ut ipsis Bergleinii verbis utar, tripartita est. Primum vita poetae enarrata de poesi eius, qualis fuerit in universum, quantum poterit in hac tenuitate fontium, adiuncto reliquiarum recensu quaerendum, postremo loco, quum eodem aut alio tempore exstiterint quidam aliis nominibus memorabiles iidemque Philoxeni appellati, sed cum nostro poeta insigni errore cum a veteribus, tum a recentioribus nonnunquam confusi, quid eorum cuique iure vindices, quid non, erit exponendum.

Insignis est scriptio diligenti usu multorum librorum et haud vulgari sagacitate. Cuius quum multa iis non repugnent, quae ipse proposui, eorum, quae discrepant, pleraque nullo modo mihi quidem probari possunt, alia recte se habent. Iam de iis, quae gravissima videntur, breviter agam.

P. 21. in arte musica excolenda Philoxenum dicit reliquos dithyrambographos atque ipsum Timotheum longe antecessisse. Quae sententia vereor ne antiquorum scriptorum testimoniis parum fulta sit. Nam dum praeter alios Aristotelem (metaphys. *EA.* p. 993.) videmus omnium musicorum graecorum Timotheum praestantissimum duxisse, Plutarchum (de musica 12. 30. 31.) et Dionysium (de compos. verb. c. 19.) invenimus, ubi musicam in peius conversam novationibusque depravatam dithyrambicis vitio dant, aequalibus poetis constanter Philoxenum annumerasse. Quae quum ita sint, non video idoneam causam, de qua statuamus Pherecratem comicum, quum Musicam de contumeliosis novationibus a dithyramborum poetis sibi illatis conquerentem faceret, Philoxenum honorifico

silentio praetermisisse, atque minus recte id Bergleinium et praeter eum viros doctissimos Meinekium et Bergkium statuisse censeo. Plutarchi enim si eum locum inspicimus, quo Pherecratis versus profert, primum legimus nonnullos, quibus Musica deinceps de Melanippide, Cinesia, Phrynide, Timotheo conqueritur, deinde autem verba ipsius Plutarchi interposita de Philoxeno mentionem faciunt: itaque qui ea excipiunt versus patet ad Philoxenum, non amplius ad Timotheum spectare. Verum ne quis propterea a Philoxeno eos alienos esse arbitretur, quod eius nomen in iis non occurrat, advertat versus aliquot deesse, in quibus haud dubie id legebatur quosque Plutarchus ea de causa praetermisit, quod iam ipse commemoraverat Philoxenum. Cf. quae de hac re disputavimus p. 17. 37. 66—70.

Deinde de indole et argumento carminis *Κύκλωψ* inscripti quid potissimum persuasum habeat, his verbis declarat p. 50: „Ex his vero, quae de Cyclope Philoxeni comperta habemus, pariter atque ex omni ratione, qua nobis posteriores poetae amores Polyphemi et Galateae describunt, admodum verisimile est poetam in carmine suo Galateae, quae sub undis delitescere fingitur (Theocr. XI, 63. Ovid. Met. XIII, 838.); neque peculiares partes neque sermonem omnino tribuisse, ut Athenaei verba (I, 6. F.) non ita intelligenda sint, ac si Galatea veram personam induerit et partes aliquas egerit, sed nymphae nomen poeta tantummodo usurpavit, quatenus Polyphemum amore incensum describendo Dionysium tyrannum ob amorem cognominis fidicinae ludificari voluit. Unde efficitur, ut amatoris Polyphemi persona nullo amplius vinculo cum Ulixis fabula, qualem cecinit Homerus, iuncta fuerit nec isti amores nisi embolium quoddam habendi sint, quod ad actionis, ut ita dicam, rationem, vel

progressum vel exitum, nullam omnino habuerit vim, et in eo uno constiterit, quod immanis Cyclops amore aeger ad Galateae laudes canendas, unde solatium peteret, excitatus sit. Proinde praeter Polyphemum et Ulixem nullas arbitror in carmine fuisse personas. Nam quod alii de choro Cyclopum et servo Polyphemi loquuntur, somnia cernunt."

De amoribus Cyclopis vellem cautius egisset. Nam si consilium, de quo poeta carmen scripserit, reputamus (vide Athen. I, 6. schol. ad Aristoph. Plut. 290. et quae disputavimus p. 27. 33.), facile suspicamur fabulam a Philoxeno ita contextam fuisse, ut in iis describendis vel summum momentum positum esset, quippe quibus tam Polyphemi a Galatea repudiati rudis immanitas dideretur, quam Ulixis dexteritas atque qua ab ea exceptus esset gratia celebraretur. Itaque quum alias, ut est apud Ovidium Met. XIII, 884., aemulus in amanda Galatea Acis proponatur, quem ob amatae favorem Cyclops trucidat, Philoxenus, ut e re sua erat, aemulum Ulixem fecit, qui non solum illius furorem effugit, sed ipsum foedissime obtruncat. Verum magis etiam miror, quod ne id quidem Ulixem Philoxenium fecisse nec nisi eam in carmine fuisse oculi privationem Bergleinius dicit, quam Polyphemus, quum Galateam caneret, pronuntiaverit, vel potius eam, quam Telemus ei vaticinatus sit. Ipsa enim carminis fragmenta satis probant Ulixem in eo similiter egisse cum Cyclope, ut ab Homero narratum est, ex iis autem, quae Aristophanes in Pluto l. l. chorum loquentem fecit et quae scholiastae annotant, dilucide apparet Ulixem Philoxenium palo oculum Polyphemo extorsisse. Quae quum ita sint, non dubito haec Athenaei verba: *'Εν αἷς (λατομίαις) ποιῶν τὸν Κύκλωπα συνέθηκε τὸν μῦθον εἰς τὸ περὶ αὐτὸν γενόμενον πάθος, τὸν μὲν Διονύσιον Κύκλωπα*

ὑποστησάμενος, τὴν δ' αὐλητρίδα Γαλάτειαν, ἑαυτὸν δ' Ὀδυσσέα — ita intelligere, ut Galatea quoque veram personam induerit. Quam non secundarias partes in carmine illo egisse vel inde colligas, quod paene non saepius *Κύκλωψ* quam Galatea inscriptum commemoratur (cf. Athen. l. l. schol. Aristoph. l. l.). Quod chorum attinet, Bergleinius recte quidem Burettium, Luetkium, Ulricium refutat, qui e scholiastae verbis chorum Cyclopum et servum Polyphemi interfuisse collegerunt, eosque ad Philoxeni carmen retulisse demonstrat quae de choro Aristophanis et Carione servo intelligenda sint. Sed chorum adfuisse quum ex Aristophanis verbis aliquo modo coniici potest, si quidem is chorum suum ea minitantem fecerit, quae in Philoxeni carmine chorus cum Ulixe perpetraverit, tum vero per se consentaneum est in dithyrambo publice edito chorum non defuisse. Quodsi Bergleinius vel id factum esse negat carmenque non spectandum, sed legendum fuisse aequalibus affirmat (p. 57.), quam maxime ab eo dissentio. Tantum enim abest, ut haec sententia antiquorum testimoniis nitatur, ut iis plane refragetur. Nam ne Aeliani verba premam, qui (v. h. XII, 44.) carmen appellat μελῶν τὸ κάλλιστον, praesto sunt Athenaeus et scholiastae Aristophanis, quorum imprimis is audiendus est, cuius haec sunt verba: Ἐνταῦθα ὁ ποιητὴς παιγνιωδῶς ἐπιφέρει τὰ τοῦ Φιλοξένου εἰπόντος πήραν βαστάζειν τὸν Κύκλωπα καὶ λάχανα ἐσθίειν. οὕτω γὰρ πεποίηκε τὸν τοῦ Κύκλωπος ὑποκριτὴν εἰς τὴν σκηνὴν εἰσαγόμενον. Quae ut pro fictis habeam, ne Hermanni quidem auctoritas me commovere potest. Etenim vera esse ex ipso illo Aristophanis loco colligitur, quo Cyclops Philoxenius ita perstringitur, ut appareat personam in scenica actione iam exhibitam risui dari. Omnino autem vix cogitari potest eius poetae, qui

in musica non minus quam poetica arte versabatur, nobilissimum carmen legentium solitudini destinatum atque in ea summam celebritatem nactum esse; cf. Iacob. quaestt. Sophocl. p. 41. Ipsi Bergleinio haec argumenta non plane ignota manserunt, eoque magis miror, quod in opiniones minus probandas inciderit.

P. 36. B. Antigenidam demonstrare studuit e temporum ratione non aequalem fuisse Philoxeno, „verba autem Suidae, qui eum tibicinem Philoxeni dicit, non proprio sensu accipi et nihil significare posse, nisi eum in Philoxeniis potissimum carminibus committendis versatum esse." — In hanc sententiam cur non eundum putem, paucis dicam. Quum duo potissimum Antigenidae distinguendi sint, quorum alterum constat in domo Periclis Alcibiadem disciplina sua instituisse, alterum ad nuptias Iphicratis in Thracia tibiis cecinisse, hunc minorem, a plurimis laudatum, nihil obstat temporum ratio, quominus adolescentulum tibiae lusu Philoxenum in edendis dithyrambis adiuvasse statuamus. Nam inter Philoxeni mortem temporis spatium non nimis longum, sed tantummodo circiter viginti annorum intererat.

Carmen *Δεῖπνον* inscriptum B. non dubitat multis nominibus laudare et Philoxeno adiudicare. De qua re licet recentiores viri docti plerique eadem fere disputent, non possum non prorsus aliter facere atque idonea argumenta mihi protulisse videor, quibus carmen non Cytherii, sed Leucadii Philoxeni esse probarem.

Sed p. 63. B. optime monet id quod neglexeram, Tlepolemum illum Lycium, in cuius honorem epigramma inscriptum Philoxeni nomine factum est, teste Pausania (V, 8, 11.) demum ol. CXXXI. victoriam reportasse. Quod tamen addit, „ergo vixit obscurus ille epigrammatis faber plus centum annis post nostri Philoxeni mortem" — mi-

nus placet. Minime enim manifestum est eundem Tlepolemum a Pausania laudari, quem epigramma celebrat. Itaque ne illud quidem liquet, utrum a Philoxeno Cytherio an alio epigramma sit conscriptum.

Alia in medio relinquo. Videant quae recte et quae errore ducti disputaverimus peritiores.

Scripsi Isenaci idibus Octobribus
MDCCCXLIII.

Philoxenus, Timotheus, Telestes inter poetas Graecorum dithyrambicos extremum obtinent locum. Itaque ad quaestionem de iis instituendam ut viam mihi muniam, non solum de natura atque indole dithyrambi, sed etiam de mutationibus, quibus longa annorum serie obnoxius fuerit, pauca praemittenda sunt. De qua re exploratis tam veterum scriptorum [1]) testimoniis, quam recentiorum [2]) iudiciis, sic mihi est persuasum.

Dithyrambus fuit carmen in Bacchi honorem cantatum, cuius origo in ipsis cultus bacchici initiis quaerenda est [3]). Primo autem, quum Bacchus longum tempus rure ab ho-

---

[1]) Multi exstant, qui hac de re nos doceant, praeter ceteros autem nominandi sunt Plato, Aristoteles, Dionysius Hal., Plutarchus, Proclus (apud Photium), Athenaeus, Suidas.

[2]) Ex antiquioribus praeter alios G. I. Vossius (de poetis graecis III, 14, 4.) omnino Proclum secutus bene de dithyrambo disputavit. Nostra aetate singularem dithyrambo operam tribuit Timkowsky in libro „de dithyrambis eorumque usu apud Graecos et Romanos. Mosc. 1806." cf. act. semin. phil. Lips. t. I. p. 204. Disputatio est parum diligens, qua nihil accuratius de dithyrambo docemur. Contra magna sagacitate et diligentia de antiquissima dithyrambi forma et indole egit Welkerus in libro, qui inscribitur *Nachtrag zur Schrift über die Aeschyl. Trilogie* p. 186 sq. Nuperrime multa de dithyrambo disseruerunt Ulricius et Bodius in libris, quos scripserunt de historia poeseos graecae vol. II.

[3]) Proclus ap. Phot. p. 320 ed. Bekker. v. not. 5. Qui dicuntur dithyrambum invenisse poetae Arion Methymnaeus, Lasus Hermionensis, Philoxenus Cytherius, non invenerunt, sed insigni ratione excoluerunt.

minibus agrestibus et rudibus coleretur, non potuit non carmen rude esse et arte carens, de cuius forma certi quid omnino statui nequit. Neque enim liquet, utrum a Bacchi cultoribus inter sacrificium ad dei aram, an inter epulas, quum libarent[4]), neque utrum ab uno, an pluribus cantus sit, neque utrum, qui canerent, sua, an Satyrorum persona prodierint. Verisimile est autem horum utrumque factum esse. Indoles quae fuerit dithyrambi, facile apparet, si tenemus carmen fuisse Bacchum colentium, quorum animi vel vino, dei dono, concitati, vel omnino quodam furore, aut luctuoso, si mortis pericula deo imminentia lugerent, aut laeto, si vere ineunte Bacchum redivivum salutarent, abrepti essent. Spirabat igitur ipse dithyrambus fanatici quid, eodemque furore audientes afficiebat, quo canentes impleti erant[5]). Cui consentaneum

---

[4]) Illud quidem postero tempore fiebat, sed hoc antiquissimis temporibus non insolitum fuisse ex his apparet: Athen. XIV, 628. *Φιλόχορος δέ φησιν, ὡς οἱ παλαιοὶ σπένδοντες οὐκ ἀεὶ διθυραμβοῦσιν, ἀλλ' ὅταν σπένδωσι, τὸν μὲν Διόνυσον ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ, τὸν δ' Ἀπόλλωνα μεθ' ἡσυχίας καὶ τάξεως μέλποντες. Ἀρχίλοχος γοῦν φησιν·*

Ὡς Διωνύσοιο ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
οἶδα διθύραμβον, οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας.

Καὶ Ἐπίχαρμος δ' ἐν Φιλοκτήτῃ ἔφη·

Οὐκ ἔστι διθύραμβος, ὄκχ' ὕδωρ πίῃς.

cf. Athen. II, 40. Procl. l. l.

[5]) Proclus l. l. *Ἔστιν οὖν ὁ μὲν διθύραμβος κεκινημένος καὶ πολὺ τὸ ἐνθουσιῶδες μετὰ χορείας ἐμφαίνων εἰς πάθη κατασκευαζόμενος τὰ μάλιστα οἰκεῖα τῷ θεῷ καὶ σεσόβηται μὲν καὶ τοῖς ῥυθμοῖς καὶ διπλασίαις κέχρηται ταῖς λέξεσιν. ὁ δὲ νόμος τοὐναντίον διὰ τῶν θεῶν ἀνεῖται καὶ ἁπλουστέραις ταῖς λέξεσι κέχρηται. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταῖς ἁρμονίαις οἰκείαις ἑκάτερος κέχρηται. ὁ μὴν γὰρ τὸν φρύγιον καὶ ὑποδόριον ἁρμόζεται, ὁ νόμος δὲ τῷ συστήματι τῷ τῶν κιθαρῳδῶν λυδίῳ. ἔοικε δ' ὁ μὲν διθύραμβος ἀπὸ τῆς κατὰ τοὺς ἀγροὺς παιδιᾶς καὶ τῆς ἐν τοῖς πότοις εὐφροσύνης εὑρεθῆναι, ὁ δὲ νόμος δοκεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ παιᾶνος ῥυῆναι· ὁ μὲν γαρ ἐστι κοινότερος εἰς κακῶν παραίτησιν γεγραμμένος, ὁ δὲ ἰδίως εἰς Ἀπόλλωνα. ὅθεν τὸ μὲν ἐνθουσιῶδες οὐκ ἔχει, ὡς ὁ διθύραμβος, ἐκεῖ μὲν γὰρ μέθαι καὶ παιδιαί, ἐνταῦθα δὲ ἱκετεῖαι καὶ πολλὴ τάξις.*

est, ut, quum primum artis subsidia accederent, libera dictione, concitato metro trochaico 6), musica fanatica harmoniam phrygiam et tibiarum strepitum amplectente 7) efferretur. Hac tamen ratione dithyrambus non ante olympiadem XXX. excultus est, quo tempore poesis lyrica per plures praestantissimos poetas et musicos prima incrementa accepit. Primus enim inter poetas de hac re bene meritos exstitit Terpander Lesbius, qui heptachordum invenit, ac multis tum ipsius tum aliorum poematis modos (*νόμους*) subiunxit 8). Paulo post Clonas sive Thebanus sive Tegeates, ut Terpander citharae operam dedit, tibiae lusum excoluit, tibiarumque modos carminibus suis addens epicis et elegiacis *νόμους αὐλῳδικοὺς* composuit 9). Huic fere aequalis Archilochus, quum praeter alia carminibus suis modos ita adaptaret, ut eiusdem poematis alii versus ad instrumentorum concentum canerentur, alii recitarentur, atque versus iambicos et trochaicos fingens primus genus metri impar adhiberet, non solum de musica, sed etiam de metro excolendo optime meruit 10). Summum vero

---

6) Aristot. poet. IV. Hoc metrum haud dubie primus Archilochus in dithyrambo adhibuit, versusque eius sub nota 4. laudatos non dubito cum Welkero pro initio dithyrambi habere.

7) Aristot. pol. ϑ, 7. p. 1342. B. *Ἔχει γὰρ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἡ φρυγιστὶ τῶν ἁρμονιῶν, ἥνπερ αὐλὸς ἐν τοῖς ὀργάνοις· ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ καὶ παθητικά. δηλοῖ δ' ἡ ποίησις· πᾶσα γὰρ βακχεία καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη κίνησις μάλιστα τῶν ὀργάνων ἐστὶν ἐν τοῖς αὐλοῖς, τῶν δ' ἁρμονιῶν ἐν τοῖς φρυγιστὶ μέλεσι λαμβάνει ταῦτα τὸ πρέπον, οἷον ὁ διθύραμβος ὁμολογουμένως εἶναι δοκεῖ φρυγιστί. καὶ τούτου πολλὰ παραδείγματα λέγουσιν οἱ περὶ τὴν σύνεσιν ταύτην ἄλλα τε καὶ διότι Φιλόξενος ἐγχειρήσας ἐν τῇ δωριστὶ ποιῆσαι διθύραμβον τοὺς μύθους οὐχ οἷός τ' ἦν· ἀλλ' ὑπὸ τῆς φύσεως αὐτῆς ἐξέπεσεν εἰς τὴν φρυγιστὶ τὴν προσήκουσαν ἁρμονίαν πάλιν.*

8) Plut. de musica 3. 4.

9) Plut. l. l. 3. 5.

10) Plut. l. l. 5. 10. 29. Nobilissima Archilochi inventa commemoravi. Praeterea Plutarchus c. 29. etiam numerum creticum scribit a quibusdam ei tribui, quem c. 10. a nemine, ne Archilocho quidem, ante Olympum usurpatum esse disertis verbis dicit. Alia obscuriora sunt; ab Archilocho enim inventa

emolumentum dithyrambo inde videtur enatum esse, quod Olympus, celeber phrygius tibicen, qui eadem fere illa aetate in Graeciam venit, phrygiam musicam attulit. Plutarchus [11]) quum pulcrae eum musicae fundamenta iecisse tum multis prius ignotis hanc artem auxisse praedicat. Quorum haec nominat: cantum assarum tibiarum (*νόμους αὐλητικούς*), atque novum genus et musicae (*ἐναρμόνιον*)[12]) et metri (*ἡμιόλιον*)[13]). Ipsam harmoniam phrygiam Plutarchus quidem silentio praetermittit, sed valde probabile est eam quoque ab Olympo cum Graecis communicatam esse[14]).

Iam his primariis artis metricae et musicae formis expressis poesis lyrica laetissime efflorescebat. Et primum quidem carmina strophica minoris ambitus et varietatis a poetis iisque singulis canebantur, mox ad argumentum et compositionem ampliora a poeta praecinebantur, quem chorus, ab ipso instructus, cantu gestuque adiuvabat, simulque tum citharistae tum tibicines comitabantur. Hac magnificentiore et perfectiore artis forma, qua inprimis hymni deorum fingebantur, circa olympiadem XL. dithy-

---

praedicat etiam *τὴν παρακαταλογήν* et *τὴν κροῦσιν τὴν ὑπὸ τὴν ᾠδὴν* (*τοὺς δ' ἀρχαίους πάντας πρόσχορδα κρούειν*). Quorum iam aptissimam interpretationem ab O. Müllero (*Geschichte der griech. Literatur* v. I. p. 246.) propositam reperi, e qua *παρακαταλογή* carminis est pars, cuius rhythmus et canendi modus minus distincte expressi erant; *κροῦσ. κτλ.* significat cantum instrumentorum sonis vocum non continuo respondentem (quod est *πρόσχορδα κρούειν*), sed ab iis discedentem. Verum recte dubitat, num hoc proximum iam ab Archilocho effectum sit. — Praeterea plures illius aetatis musici de asso fidium lusu bene meriti laudantur apud Ath. XIV, 637—639.

[11]) l. l. c. 7. 10. 11. 29.

[12]) Hoc genus Plutarchus distinguit (c. 11.) ab eo, quod seriore tempore usurpatum esset et *ἡμιτόνιον* direptum haberet; atque ita describit, ut proxime ad genus chromaticum accessisse et sic habuisse videatur: $\frac{1}{2}$, $1\frac{1}{2}$, $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{2}$, $1\frac{1}{2}$, $\frac{1}{2}$, non $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{4}$, 2, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{4}$, 2. cf. *Universallexicon der Tonkunst v. Schilling* p. 348.

[13]) creticum enim et bacchium numerum primus adhibuit. c. 10. 29.

[14]) colligitur etiam ex Plutarchi verbis c. 29.

rambus quoque excolebatur. Primum hoc Corinthi per Arionem factum esse plures sunt testes [15]), e quorum verbis haec fere erui possunt. Arion dithyrambos metro antistrophico [16]) componebat, quos, additis modis musicis, chorum (quinquaginta virorum) cantu gestuque efferre docebat. Iam ad Bacchi aram quum ipse chorum ducens praecinebat, hic eum adiuvabat [17]), simulque plures musici instrumentorum, praecipue tibiarum lusu comitabantur. Chori autem pars persona Satyrorum induta tum versibus recitandis [18]) tum fanatica saltatione [19]) exponebat, quomodo ceterorum cantu affecta esset. Singulis dithyrambis no-

---

[15]) Herodot. I, 23. Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον . . . καὶ διθύραμβον πρῶτον ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν ποιήσαντά τε καὶ ὀνομάσαντα καὶ διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ. Procl. ap. Phot. l. l. εὑρεθῆναι δὲ τὸν διθύραμβον Πίνδαρος ἐν Κορίνθῳ λέγει, τὸν δὲ ἀρξάμενον τῆς ᾠδῆς Ἀριστοτέλης Ἀρίονά φησιν εἶναι, ὃς πρῶτος τὸν κύκλιον ἤγαγε χορόν. Pind. ol. XIII, 18 (25). Suid. s. v. Ἀρίων. Λέγεται καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρετὴς γενέσθαι, καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι, καὶ διθύραμβον ᾆσαι, καὶ ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ, καὶ Σατύρους εἰσενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας. Schol. Aristoph. Av. 1403. Τοὺς κυκλίους χοροὺς στῆσαι πρῶτον — Ἑλλάνικος καὶ Δικαίαρχος Ἀρίονα τὸν Μεθυμναῖον.

[16]) cf. Aristot. probl. XIX, 15.

[17]) chorus cantu gestuque dithyrambum edens circulo aram Bacchi circumibat; quare nomen ei evenit κύκλιος χορός, ipse autem poeta κυκλιοδιδάσκαλος et tibicines concinentes κύκλιοι αὐληταί nominati sunt. Ceterum quae potissimum et quomodo chorus praestiterit coniectura vix assequi possumus. Probabile tamen est eum non solum praecinentis verba comitatum esse, sed etiam ad alia, quae ille solus caneret, respondisse; itemque inter saltandum non semper cantasse, sed quum velocem pyrrhicham saltaret, cantu abstinuisse. Hoc certe proximum ex iis, quae Athenaeus (XIV. p. 629. 30.) disputat, colligi potest, quibus ubi de pyrrhicha, sicinni, aliis saltationibus egit, de hyporchematica his pergit: ἡ δ' ὀρχηματικὴ ἐστιν, ἐν ᾗ ᾄδων ὁ χορὸς ὀρχεῖται. cf. Aristot. poet. 1.

[18]) Sic cum Welkero puto Suidae verba, obscuriora quidem et variis interpretationibus apta, accipienda esse.

[19]) velocem dico σίκιννιν, de qua v. Athen. XIV, 629. et supra not. 17.

mina dedit[20]) vel e compositione, vel ex argumento petita. Hoc non potuit non occupatum esse in variis tam laetis, quam tristibus Bacchi casibus[21]). Videtur autem non solum artem et magnificentiam dithyrambo intulisse, sed etiam in laetitia efferenda eam gravitatem et dignitatem adhibuisse, ut eius ratio aeque a priore dithyrambo aliena ac tragoediae similis appareret[22]).

Dithyrambum ita excultum suspicari licet deinde in alias plerasque Graeciae urbes, Bacchi cultu insignes, migravisse. Nusquam tamen maior ei cura videtur tributa esse, quam Athenis, ex quo quidem tempore Bacchi cultus sub auspiciis Pisistrati eximiam solemnitatam in hac urbe nactus est[23]). Cuius rei nullum potest luculentius esse ar-

---

[20]) Inter omnes constat hanc fuisse et Herodoti et Suidae sententiam, quum dicerent *ὀνομάσαντα* et *ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ*. Eodem modo, ut Welkerus apte commemorat, Plutarchus de Terpandro his utitur verbis: *ἐκεῖνος γοῦν τοὺς κιθαρῳδικοὺς πρότερον ὠνόμασε, Βοιώτιόν τινα κτλ.* Plut. de musica c. 4.

[21]) Inprimis dei ortus dithyrambis videtur celebratus esse, quod quum e Platonis (de legibus III. p. 700. B.) verbis, tum ex ipso carminis nomine colligitur. Dithyrambus enim et carmen et ipse Bacchus propter duplicem eius partum nominabatur. Tzetzes ad Lycophr. t. I. p. 251. *διὸ καὶ διθύραμβοι ὑπὸ τοῦ Διονύσου ἐλέγοντο, τοῦ διὰ δύο θυρῶν βάντος, τῆς δὲ γαστρὸς τῆς Σεμέλης καὶ τοῦ μηροῦ τοῦ Διός.* cf. Pindar. fragm. 55.

[22]) Hac de causa posteriori tempore *τραγικοῦ τρόπου εὑρετής* videtur dictus esse. O. Müllerus l. l. v. I. p. 369. statuit *τραγικὸν τρόπον* Arionis dithyrambis propterea tributum esse, quod non nisi tristia Bacchi fata, nec solum Bacchi, sed etiam aliorum, praesertim heroum, iis celebrarentur. Quae sententia probabilis quidem, sed audacior videatur. Neque enim verisimile est priores dithyrambographos a celebrandis tristibus Bacchi fatis abstinuisse, neque ullum exstat testimonium, e quo colligatur Arionem non nisi haec tractasse. Bodius l. l. v. II. p. 167. *τραγικὸν τρόπον* in modis musicis apparuisse censet.

[23]) v. Welker. l. l. 248 sq. Fortasse tum initium cepit, quod serioribus certe temporibus sic habebat: Singulae Atheniensium gentes poetam dithyrambicum alebant (Schol. Aristoph. Av. 1404.), chorum exornabant ditiores cives, a munere choragi nominati (*Boeckh, Staatshaushaltung der Ath.* t. I. p. 480 sq. cf.

gumentum, quam quod poesis dramatica ibi circa olympiadem LXI. e dithyrambo enata est. Quo facto tantum abest, ut dithyrambus aboleverit, ut maiore studio exceptus ad summam vim et gloriam pervenerit; ita quidem, ut a pluribus ingeniosissimis poetis[24]) cultus non solum tragoediae superstes esset, sed postremo paene omnem poesim sibi obnoxiam faceret. Iam si quaeritur, per quos potissimum poetas nova incrementa acceperit, primo loco nominandus est Lasus Hermionensis. Circa olympiadem LXIV. hic Pisistratidis artem suam probavit ac primus impetravit, ut diebus Bacchi festis prodirent, qui dithyrambum canerent de praemio certantes[25]). Singulari eum modo dithyrambum fecisse vel inde colligas, quod inter inventores dithyrambi relatus est[26]). Sed quo potissimum usus sit, quum carminum ipsorum non nisi paucos versus reliquos habeamus[27]), vix cognoscere nobis licet. Collatis tamen iis, quae a nonnullis scriptoribus de eo commemorantur, certe haec docemur.

Demosth. in Mid. argum. Libanii), praemia victoribus publice ex aerario proposita erant. Poetae chorum, primo hominum e singulis gentibus electorum, post actorum, dithyrambos canere et saltare docebant, atque musicos, mercede conductos, adiungebant (schol. Platon. de rep. III. p. 398 Tauchn. Plut. de mus. c. 30.); praemiis autem ii, quibus victoria evenit, sic ornabantur, ut chorus bovem acciperet, ipse poeta et choragus insuper tripodes deportarent. Praeterea decretum conscribebatur publicum, quo nomina enumerabantur et victorum, poetae, tibicinis, choragi, gentis, et Archontis, quo gubernante rempublicam res gesta esset. (Boeckh. corp. inscr. t. I. No. 217. p. 346. No. 221 — 225.). cf. Bode l. l. v. II. p. II. p. 136.

[24]) vel a tragicis, ut a Pratina.

[25]) Schol. Aristoph. Vesp. 1401. Suid. s. v. *Λάσος*. *Κυκλιοδιδάσκ*. v. supra not. 23. cf. Herod. VII, 6.

[26]) Clemens Alex. strom. I. p. 365.

[27]) Athen. XIV. p. 624. E. cf. X. p. 455. D., 467. A. Sunt ex hymno in Dianam, in quo literam σ musicis, inprimis tibicinibus odiosam, non adhibuisse dicitur. Praeterea Athenaeus l. l. p. 455. C. carmen Lasi, Centauri inscriptum, commemorat propter idem istud artificium insigne. Dithyramborum mentionem facit Aelian. Hist. Anim. VII, 47. v. Poetae lyr. gr. ed. Bergk.

Antistrophas non adhibuit[28]), sed metro plane libero et cum ipsis, quibus efferendis inserviret, sensibus variante usus est; quo facto non potuit non etiam saltationem et musicam artificiosiorem reddere, praesertim quum vel ductum rhythmi celerrimum adhiberet, atque pluribus tibiis ita uteretur, ut earum soni, intervallis diremti, harmonice concinerent[29]). Non minus memorabile est, quod hoc musicae et rhythmi genus, dithyrambo convenientissimum, etiam aliis carminibus tribuisse dicitur. Ita enim viam latissimam munivit, qua dithyrambus in alia poesis genera penetrare et paene omnia ditionis suae facere poterat. Consentaneum est huic, quod vel nomen dithyrambi transiit ad carmina illius indolis dithyrambicae, etiamsi non Bacchum celebrarent, sed argumentum aliunde sumtum haberent. Cuius rei exemplum, quum e Lasi carminibus proferre non possimus, habemus hoc, quod Simonidis, illi aequalis et aemuli, dithyrambus sub titulo *Μέμνων* commemoratur[30]).

Minus liquet quid Lasus per *ἐριστικοὺς λόγους* assecutus sit, quos choro dithyrambi dicitur tribuisse[31]). Fortasse ad actionem dithyrambis illatam referri possunt. Quae sententia stabiliri videtur loco Aristotelis, quo di-

---

p. 845 sq. Praeter carmina etiam librum de musica scripsit (Schol. Arist. Vesp. l. l. Suid. l. l. Aristoxen. harm. elem. I. p. 3. cf. Bode l. l. p. 114.). Unde apparet eum artem non solum exercuisse, sed etiam eius leges perscrutatum esse.

28) Suid. l. l. cf. Plutarch. de mus. 29. Aristot. probl. XIX, 15.

29) Plut. l. l. *Λάσος δὲ ὁ Ἑρμιονεὺς εἰς τὴν διθυραμβικὴν ἀγωγὴν μεταστήσας τοὺς ῥυθμοὺς καὶ τῇ τῶν αὐλῶν πολυφωνίᾳ κατακολουθήσας, πλείοσί τε φθόγγοις καὶ διεῤῥιμμένοις χρησάμενος, εἰς μετάθεσιν τὴν προϋπάρχουσαν ἤγαγε μουσικήν.* Per hanc artificiosiorem dithyrambi formam etiam factum est, ut ad chorum edendum, quum antea cives non nimis musicae et saltationis periti coirent, actores utramque hanc artem profitentes adhiberentur. Arist. l. l. cf. not. 32. Athen. XIV. p. 617.

30) Strabo XV. p. 728. B. cf. Bode l. l. p. 136.

31) Suidas l. l. cf. Welker. l. l. p. 233. Bode l. l. p. 113.

thyrambum dicit antistrophas non amplius habuisse, ubi *μιμητικός* factus sit[32]).

Lasum exceperunt Simonides[33]), Pindarus, Melanippi-

---

[32]) probl. XIX, 15. haec leguntur: *Διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο, αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί; ἢ ὅτι οἱ μὲν νόμοι ἀγωνιστῶν ἦσαν, ὧν ἤδη μιμεῖσθαι δυναμένων καὶ διατείνεσθαι ἡ ᾠδὴ ἐγίνετο μακρὰ καὶ πολυειδής; καθάπερ οὖν καὶ τὰ ῥήματα, καὶ τὰ μέλη τῇ μιμήσει ἠκολούθει ἀεὶ ἕτερα γιγνόμενα. Μᾶλλον γὰρ τῷ μέλει ἀνάγκη μιμεῖσθαι ἢ τοῖς ῥήμασιν. Διὸ καὶ οἱ διθύραμβοι, ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο, οὐκέτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους, πρότερον δὲ εἶχον. Αἴτιον δὲ, ὅτι τὸ παλαιὸν οἱ ἐλεύθεροι ἐχόρευον αὐτοί· πολλοὺς οὖν ἀγωνιστικῶς ᾄδειν χαλεπὸν ἦ, ὥστε ἐναρμόνια μέλη ἐνῇδον· μεταβάλλειν γὰρ πολλὰς μεταβολὰς τῷ ἑνὶ ῥᾷον ἢ τοῖς πολλοῖς, καὶ τῷ ἀγωνιστῇ ἢ τοῖς τὸ ἦθος φυλάττουσιν. διὸ ἁπλούστερα ἐποίουν αὐτοῖς τὰ μέλη, ἡ δὲ ἀντίστροφος ἁπλοῦν κτλ.* Non satis apparet quo potissimum sensu Aristoteles dithyrambum dixerit *μιμητικόν*. Potuit enim ita dicere respiciens imitandi vim aut eam, quae in canentibus, aut quae in ipsa carminis forma cernebatur. Faciamus illud verum esse, rursus duplex est interpretatio. Nam hominum dithyrambum edentium imitatio aut ea erat, per quam, ut est in dramate, partes agerent eorum, de quibus fabula contexta erat, ut dithyrambus non tam narrando, quam agendo efferretur, aut non nisi eo apparebat, quod, quum prius ipsi cives dithyrambum canerent, Lasi tempore actores sub illorum persona hoc munere fungerentur. Hanc proximam interpretationem G. Hermannus proposuit (ad Aristot. poet. p. 89.). Verum etiam propterea dithyrambus dici potuit *μιμητικός*, quod forma eius, sive verba, sive metrum, sive musicam, sive saltationem respicias, rebus sententiisque exhibitis prorsus responderet, ita, ut omni externo vinculo, e quo genere metrum antistrophicum est, reiecto, tota argumento succederet verissimamque imitationem non solum sententiarum et affectuum, sed etiam aliarum rerum praeberet. Haec interpretatio quum ab Aristotelis ratione dicendi non aliena, tum illi sententiarum nexui maxime consentanea esse videatur. cf. Aristot. poet. c. 1. 29.

[33]) Quam hic dithyrambo operam navarit inde colligimus, quod LVI. victorias, et unam quidem de ipso Laso, cum cyclicis choris deportavit. Anthol. Pal. VI, 213. fr. p. 190. Iacobs. Tzetz. Chil. I, 24. cf. Bode l. l. p. 135 sq. Sed ex eius dithyrambis prorsus nihil reliquum est praeter unius titulum, Memnonem. vid. supra not. 30.

des[34]), qui quum alias tum Athenis dithyrambos edebant. Qua in re, quum in universum eadem fere ratione uterentur atque Lasus, Pindarus, quamvis illius discipulus esset [35]), non omnia ab eo novata probans plus ceteris antiquam artis simplicitatem videtur observasse [36]), ita ut vel dubitari possit, num ab antistrophica metri forma decesserit [37]). His etiam annumerandi sunt Pratinas, Lamprocles, Cecidas, Licymnius [38]). Quorum Pratinas non solum poeta lyricus, sed etiam unus e primis tragicorum fuit [39]). Prae ceteris ars eius laudatur metrica. Quum actoribus ad chorum adhibitis dithyrambi forma mutaretur, tibiarumque lusus cantui principatum quasi eripere videretur, acerrimus antiquae disciplinae vindex exstitit[40]). Eodem modo Lamprocles quoque et Cecidas antiquam simplicitatem arte sua servarunt [41]). Sed quamvis plerique hi poetae hoc studio tenerentur, tamen factum est, ut ea, quae antiquitus sancita viderentur, novae illi artis formae, a Laso primum expressae, cedere deberent. Quae quum

---

34) Secundum Suidam s. v. *Μελανιππίδης* ol. LXV. natus est et Athenis dithyrambos edidit.

35) Vita Pind. cf. Boekh. de metr. Pind. p. 2. explic. p. 17.

36) Aristid. or. 46. t. II. p. 383. Dindorf. cf. Bode l. l. p. 231. cf. Athen. X. p. 455. C.

37) Plura Pindari dithyramborum exstant fragmenta, quorum unum e dithyrambo Athenis edito servatum est (Dissen. p. 225.). In primis eius versibus dii invocantur, ut praesentes sint ac dona veris benigne accipiant, in sequentibus Bacchi et Semelae laudes celebrantur. Metrum est alacerrimum, e creticis, iisque saepe solutis, dactylicis, choriambicis ordinibus compositum. Antistrophis distinctum fuisse plures (ut Bodius p. 235.), ut mihi videtur, recte negant. Sed O. Müllero l. l. t. II. p. 284. visum est antistrophas adhibitas esse.

38) Horum poetarum pauci tantum versus ad nos pervenerunt. v. Bergk. poet. lyr. Graeci p. 837. cf. Bode l. l. p. 303.

39) cf. Welker. l. l. p. 276.

40) Athen. XIV. p. 617.

41) Uterque ab Aristophane laudatur. Nub. v. 960 sq. 981. cf. schol. De alterius nomine ambigitur, num Cecidas an potius Cydias habeat. cf. Bergk. l. l. Bode l. l. Fortasse his nominibus diversis diversi poetae audiebant.

praeter metrum liberius excultum maxime liberiore et ampliore musicae usu insignis esset, musica, angustiis superatis, quibus adhuc circumscripta non nisi adiutrix et quasi gerula verbi erat, sui iuris fieri est conata. Haec igitur ars eodem fere tempore, quo reliquae omnes ad summum fastigium pervenerunt, intra olympiadem LXX. et LXXX., circiter medium quintum saeculum ante Christum natum, maxima incrementa cepit, adeo ut systema amplificaretur, harmoniae augerentur, instrumenta musica perficerentur, modi denique ipsi maiore arte componerentur. Iam de mutato musicae statu coniecturam facere licet e mutata musicorum conditione: qui quum antea poetis subiecti essent, tum iuxta eos habebantur. Namque Melanippidis minoris aetate tibicines dithyrambici non amplius mercedem a poetis, sed praemium publice accipiebant, eorumque nomina aeque ac poetarum publico edicto perscribebantur[42]. At vero tibicines ad hunc honoris gradum progressos lusumque eorum a poesi solutum tantum abfuit ut poetae laeto animo exciperent, ut ad aemulationem provocati nunc vituperarent, quod tibiarum strepitus cantum de loco pellere conaretur, nunc totam tibicinum artem fabulis odiosis contemptui dare studerent. Hoc studio etiam Melanippides ductus carmen sub titulo Marsyas composuit, cuius versus aliquot reliqui Minervam faciunt tibiam abiicientem, quod os foedum redderet[43]. Ceterum hic poeta musicae liberius excolendae finibusque eius dilatandis minime adversabatur, sed potius enixe operam dabat. Atque a Pherecrate comico, qui cum multis eruditissimorum Graecorum totam illam recentiorem musicam, ut iustos fines transgredientem, non perfectionem artis, sed depravationem censet, inter primos refertur, qui musicae mala intulerint, ita ut heptachordo non contentus instrumento usus sit duodecim chordis tenso, quo musicam, antiqua gravitate neglecta, molliorem fecerit[44]. Iam

---

42) Plut. de musica c. 30. cf. not. 23.

43) Athen. XIV. p. 616. E. Hic Melanippides, eius, quem supra laudavimus, nepos, intra olympiadem LXXX. et XC. floruit. Suidas v. *Μελαν.* Xenoph. memor. Socr. I, 4, 3.

44) Plut. de musica c. 30.

quid potissimum duodecim chordis assecutus sit, divinare non possumus. Potuit autem eas ita tendere, ut soni aut unum diapason superarent, aut intra hoc pluribus harmoniis vel generibus simul sufficerent. Numerum antistrophis reiectis fecit eiusmodi, ut varios ordines longa serie continuaret, tamen non per totum carmen, sed ita, ut in singulis carminibus plures metricae partes distinguerentur, quae stropharum ambitum excedebant et secundum aliam legem, quam antistrophae, sese excipiebant. Nominabatur hoc metri genus *ἀναβολή*[45]). Carmina Melanippidis deperdita sunt praeter paucos versus et hos tres titulos: Marsyas, Proserpina, Danaides, e quibus colligitur argumentum carminum varium neque semper a Baccho peti-

---

[45]) Hoc sensu vocabulum *ἀναβολή* accipiendum esse colligitur ex Aristotelis rhetor. III. c. 9. B., quo loco quum nimis longas periodos orationis pedestris vituperet, quod non facile percipiantur, easque cum *ἀναβολαῖς* carminum comparet, vix dubitari potest, quin metri id genus notaverit, quod similiter maiorem ambitum haberet. Secundum certam quandam legem has anabolas repetitas esse e versibus Democriti, qui eodem illo loco leguntur, suspicari licet. Aristoteles enim, ubi longiores periodos *ἀναβολαῖς* comparavit, haec addit: *ὥστε γίνεται ὃ ἔσκωψε Δημόκριτος ὁ Χῖος εἰς Μελανιππίδην ποιήσαντα ἀντὶ τῶν ἀντιστρόφων ἀναβολάς·*

οἷ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,
ἡ δὲ μακρὰ ἀναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη.

Iam igitur verba primi versus ad imaginem stropharum sibi respondentium videntur posita esse. Quod si verum est, ab antistrophico metro *ἀναβολή* eo potissimum differebat, quod non binae strophae sibi responderent, sed plures easque diversas deinceps positas par numerus eiusdem metri exciperet. cf. *Griechisch-röm. Metrik v. Freese* p. 401. c. Ceterum strophas ipsas simplices nec magna versuum ordinumque varietate insignes fuisse e fragmentis (v. Bergk. l. l. p. 847 sq.) apparet. Alii tamen aliter rem explicuerunt, et Bodius quidem (l. l. p. 295.) minus accurate haec disputat: *dem Democritos mifsfiel die Anabole in folgendem Hexameter: „Der schafft selber sich Qual, der Anderen Qualen bereitet."* At hic versus non Melanippidis, sed Democriti est. O. Müllerus l. l. t. II. p. 289. haec scripsit: *besonders charakteristisch waren gewisse Läufer, die am Anfang angebracht wurden und Anabole hiefsen.*

tum esse. Illi fere aequales fuerunt Ion, Diagoras, Cleomenes, qui eodem paene modo, sed minore successu artem coluisse videntur [46]). Annumerandus est his etiam Phrynis Mitylenaeus [47]), musicus, qui quod a pluribus vidimus inceptum perfecit, musicamque antiquis vinculis plane reiectis eam excoluit, quam supra significavimus. Citharoediae enim quum operam daret, perfectiora instrumenta adhibuit, neque solum lyras plus septem chordis tensas [48]), sed etiam citharas, paucis quidem (non amplius quinque) chordis tensas, sed e quibus flectendo (*durch Greifen*) infinitam sonorum multitudinem elicere et vel omnes, quae intra unum diapason continentur, duodecim harmonias exhibere poterat [49]). Quibus subsidiis munitus in modis et componendis (fecit autem plurimos) et edendis ita versatus est, ut arte uteretur quam maxima atque

---

[46]) Ex eorum carminibus nihil nobis servatum est praeter paucos versus Diagorae et Cleomenis titulum dithyrambi *Μελέαγρος*. Saepius eos, inprimis Diagoram carpsit Aristophanes. v. Aristoph. Ran. 323. cf. Schol. Pac. 830. cf. Bode l. l. p. 301.

[47]) Aequalis fere fuit Melanippidi minori. Primam Athenis Panathenaicis victoriam deportavit ol. LXXXI. (Schol. Aristoph. Nub. 967.) et vitam ad tempora belli peloponnesiaci perduxit.

[48]) Plut. Agis. c. 10. Procl. ap. Phot. l. l. v. not. 50.

[49]) Plut. de musica c. XXX. Pherecrates comicus Musicam de musicis querentem et de Phrynide quidem haec loquentem facit:

Φρύνις δ' ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα
Κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν,
Ἐν πέντε χορδαῖς δώδεχ' ἁρμονίας ἔχων.

Notum est quod inter lyram et citharam intercedebat discrimen. In lyra enim singulae chordae singulos sonos edebant, ut est in harpis nostris, in cithara autem similiter ut in nostra cithara ex unaquaque chorda plures soni elici poterant. *cf. Universallexicon der Tonkunst von Schilling. Forkel Gesch. d. M. tom. II. p.* 301. *not.* 381. Iam igitur cithara Phrynidem eumque fortasse primum inter Graecos usum esse, e verbis illis facile colligitur. Nam non nisi in ea duodecim harmonias quinque chordis edere et quasi verticem sonorum flexorum minutorumque efficere poterat. Ceterum pari modo Aristophanes quoque (Nub. 967. cf. Schol.) musicam eius notavit ut artificiosiorem et molliorem. Sed Phanias apud Athen. XIV. p. 638. Phrynidem iuxta Terpandrum nominat, atque Ari-

antiquae rationis, a Terpandro constitutae, minorem etiam quam antecedentes poetae dithyrambici curam haberet. Accedit, quod eam musicam, cui similem hi non nisi in carminibus bacchicis usurpaverant, vel iis intulit, quae in Apollinis honorem canebantur. Etenim hymnus in hunc deum, peculiari vocabuli usu *νόμος* appellatus, a dithyrambi licentia aeque alienus erat atque Apollinis temperantia a Bacchi furore, et certum quendam ordinem desiderare videbatur. Itaque in eo antiqua disciplina per plura saecula sanctissime observata, numerusque a Terpandro constitutus, hexameter dactylicus retentus est, dum Phrynis hexametro libera metra adiungens et pro solita harmonia alias adhibens totum mutavit [60]. Iam vero, quum sic carminum genus dissimillimum dithyrambo assimilatum esset, neque potest dubium esse, quin omnibus reliquis idem factum sit, et iam apparet, quid sit, quod supra diximus, totam poesim lyricam tum in dithyrambo interiisse. Nam ubi primum singula carmina, sublatis formae discriminibus, quibus antea accurate distenta fuerant, omnia ad dithyrambi imaginem effecta sunt et argumento ex alio in aliud translato paene sola occasione, qua edebantur, discreparunt, recte tota poesis lyrica dici potest dithyrambica.

Nomum tamen dithyrambo non totum cessisse, sed

---

stoteles eum de musica uberius excolenda optime meruisse praedicat. v. Metaphys. A *ἔλαττον* p. 993. B. 15—19. cf. Plutarch. de mus. c. 6.

60) Procl. ap. Phot. l. l. *Ὁ μέντοι νόμος γράφεται μὲν εἰς Ἀπόλλωνα, ἔχει δὲ καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἀπ' αὐτοῦ, νόμιμος γὰρ ὁ Ἀπόλλων ἐπεκλήθη, ὅτι τῶν ἀρχαίων χοροὺς ἱστάντων καὶ πρὸς αὐλὸν ἢ λύραν ᾀδόντων τὸν νόμον Χρυσόθεμις Κρὴς πρῶτος, στολῇ χρησάμενος ἐκπρεπεῖ καὶ κιθάραν ἀναλαβὼν εἰς μίμησιν τοῦ Ἀπόλλωνος, μόνος ᾖδε μόνον, καὶ εὐδοκιμήσαντος αὐτοῦ διαμένει ὁ τρόπος τοῦ ἀγωνίσματος· δοκεῖ δὲ Τέρπανδρος μὲν πρῶτος τελειῶσαι τὸν νόμον, ἡρῴῳ μέτρῳ χρησάμενος, ἔπειτα Ἀρίων ὁ Μεθυμναῖος οὐκ ὀλίγα συναυξῆσαι, αὐτὸς καὶ ποιητὴς καὶ κιθαρῳδὸς γενόμενος. Φρῦνις δὲ ὁ Μιτυληναῖος ἐκαινοτόμησεν αὐτόν· τό τε γὰρ ἑξάμετρον τῷ λελυμένῳ συνῆψε, καὶ χορδαῖς τῶν ζ' πλείοσιν ἐχρήσατο. Τιμόθεος δὲ ὕστερον εἰς τὴν νῦν αὐτὸν ἤγαγε τάξιν.* cf. not. 5. Plut. de mus. c. 4.

aliqua ex parte suam indolem sibi servasse, plura sunt, quae probent. Primum enim, quum metrum mutatum esset, hexameter dactylicus neque tum neque postea ei prorsus detractus est [51]); deinde carmina quaedam nomine νόμος appellantur et ita a dithyrambis distinguuntur; denique Aristoteles in libro de arte poetica, ubi poesis genera enumerat, plerumque pro lyrica dithyrambos et nomos nominat, quippe quae primariae eius species essent. Hoc si tenemus et advertimus, unum certe carmen nomi nomine appellatum commemorari, quo non Apollo, sed victoriae Graecorum de Persis deportatae celebratae sint [52]), suspicari licet illud nomen latius pertinuisse, adeo, ut non solum hymni in Apollinem, sed omnino carmina his similiora, quam dithyrambis, eo significarentur [53]).

Quae quum ita sint, non dubitamus de tota poesi lyrica illius aetatis ita iudicare. Ut Bacchi cultus tunc, certe Athenis, reliquos magnificentia ac frequentia superabat [54]), sic dithyrambus omnium carminum erat acceptissimum ac celeberrimum, eiusque indoles in omnia fere reliqua transibat. Sed carmina cum Apollinis cultu coniuncta bacchicisque diversissima ab hac dithyrambi dominatione, quamvis ne illa quidem plane libera essent, omnium maxime aliena manebant. Itaque iuxta dithyrambum nomus pro altera quadam specie lyricae poesis habebatur. Sed quanto huic praestiterit ille, ex eo apparet, quod poetae lyrici, inprimis ii, qui Melanippidem excipiebant ultimamque liberae Graeciae aetatem explebant, plerumque dithyrambici nominabantur. Celeberrimi eorum Philoxenus Cytherius, Timotheus Milesius, Telestes Selinuntius fuerunt [55]). A quibus si primum quaerimus quae

---

51) Plut. de mus. c. 6.

52) Nomus hic fuit Timothei. v. infra.

53) Praeter cetera nomus eo videtur insignis fuisse, quod non a choro, sed singulis artificibus edebatur. Arist. probl. l. l.

54) *Stuhr, die Religionssysteme der Hellenen*, p. 415. sq.

55) Aequales iis paulo maiores fuerunt Cinesias Atheniensis et Crexus, minor aetate fuit Polyidus. Quorum Cinesias tam ineptus poeta quam homo nequam videtur fuisse. v. Bode l. l. p. 308 sq. Crexus et Polyidus non poetae, sed musici fuerunt, et

potissimum artis species et formae fictae sint, haec quaestio, quum non ex integris eorum carminibus, sed e paucis fragmentis et notis quibusdam antiquorum scriptorum diiudicari possit, valde impedita est. Nihilominus cernere licet utramque eam, quam modo significavimus, poesis lyricae speciem et utramque magna formarum varietate excultam esse. Quam quominus totam perspiciamus temporum iniuria impedit, sed maximam fuisse luculentum et memorabile exemplum habemus hoc, quod vel genus quoddam dithyrambi fecerunt plane dramaticum, eiusmodi ut praeter chorum singuli artifices ad fabulam sub persona aliqua edendam prodirent [56]). Verum inter haec carmina et genuinum drama atticum, tragoediam vel comoediam [57]), hoc potissimum discriminis videtur intercessisse, quod in iis actio minus certo consilio disposita exhiberetur, ac tota fabula non sermone, sed cantu efferretur [58]); omninoque comparanda sunt cum eo dramate musico, quod nostris temporibus acceptissimum est et nominatur *die Oper*.

Ad haec autem magni refert cognovisse, qualem hi poetae excoluerint musicam. Quae res quamvis altissimis tenebris offusa sit, in universum tamen apparet hanc artem per illos ad id perfectionis fastigium, quod apud Graecos quidem summum esset, pervenisse. Nam modos musicos (*νόμους*) fecerunt quam plurimos, quibus celeriter per totam Graeciam divulgatis non solum aequales,

---

Crexus quidem id, quod Archilochus invenerat, ut instrumentorum lusus verba non cantata, sed dicta comitaretur, primus dithyrambo intulisse dicitur. Plut. de mus. c. 28. Polyidus quum musicam nova ratione excoleret et Timothei aemulus existeret, non parem gloriam adeptus est. v. Bode l. l. p. 324.

[56]) Ex hoc genere fuit Philoxeni carmen Cyclops vel Galatea inscriptum; quare vel drama appellatum est a scholiasta Aristophanis. v. infra.

[57]) Praeterea erant plures species poesis dramaticae, quibus illud dithyrambi genus etiam similius videtur fuisse: dico drama satyricum, hilarotragoediam, comoediam siciliensem.

[58]) Vel tum, quum personae non canerent, sed loquerentur, concentus musici audiebantur. v. n. 54.

sed etiam posteri per plura saecula delectabantur. Ita autem eos composuerunt, ut arte omnes priores longe superarent. Etenim non solum artificiosissimae cantus flexiones per minutissima sonorum intervalla decurrentes atque plures soni iique diversi harmonice concinentes audiebantur, sed etiam plura genera et harmoniae simul in singulis adhibebantur [59]). Quos ut edere possent, pluribus iisque perfectioribus instrumentis opus erat. Itaque antiquo heptachordo prorsus reiecto aut lyras pluribus chordis tensas aut potius citharas usurpabant, quibus, quamvis quinque tantum chordas haberent, tanta arte utebantur, ut eas vel magadidi exaequarent [60]). Summa autem huius rei laus debetur Timotheo, tam ingenioso poetae quam dexterrimo celeberrimoque musico. Telestes commemorandus est, quod tibiarum patronus exstitit, in quo cernere licet tibicinum artem illis poetis acceptiorem fuisse, quam prioribus.

Numeri finxerunt liberrimum genus, quod *ἀπολελυμένον* vocabatur et ita habebat, ut versus et strophae similes quidem, sed neque magnitudine neque forma plane sibi respondentes componerentur [61]). Singuli tamen ordines simplicissimi erant aut eiusdem metri, aut cognati. Inveniuntur autem trochaici, dactylici, anapaestici, iambici, cretici, ionici a minori, iique aut puri, aut mixti inter se; et dactylici quidem, ubi puri occurrunt, plerumque tripodiis coniuncti sunt, quarum duae vel tres

---

[59]) Dionysius Halicarn. de compos. verb. c. 19. *Οἱ δέ γε διθυραμβοποιοὶ καὶ τοὺς τρόπους μετέβαλλον, Δωρίους τε καὶ Φρυγίους καὶ Λυδίους ἐν τῷ αὐτῷ ᾄσματι ποιοῦντες, καὶ τὰς μελῳδίας ἐξήλλαττον, τοτὲ μὲν ἐναρμονίους ποιοῦντες, τοτὲ δὲ χρωματικάς, τοτὲ δὲ διατόνους, καὶ τοῖς ῥυθμοῖς κατὰ πολλὴν ἄδειαν ἐξουσιάζοντες διετέλουν οἵ γε δὴ κατὰ Φιλόξενον καὶ Τιμόθεον καὶ Τελέστην· ἐπεὶ παρά γε τοῖς ἀρχαίοις τεταγμένος ἦν ὁ διθύραμβος.*

[60]) Haec omnia infra suo quaeque loco idoneis argumentis firmabuntur. De plurium sonorum concentu et de cithara magadidi exaequata imprimis videndum est fragmentum quartum Telestis.

[61]) cf. Freesium l. l.

versum faciunt. Versus logaoedici usitatissimi erant, et asynartetici quoque leguntur. Stropharum autem clausula saepissime efficitur Adonio versu (dactylico dimetr. catal. in dissyllabum), dactylico simplici dupliciter trochaico, Ithyphallico. Omnes ordines saepius soluti inveniuntur, nonnunquam tamen, ubi res fert, gravissimo metro incedunt. Basis denique non raro videtur adhibita esse [62]).

Dictione usi sunt plane ea, quae iam dudum dithyrambo maxime convenire videbatur. Insignis est enim tumore quodam descriptionum, cumulatione epithetorum compositorum et grandisonorum, audaci usu verborum translatorum. Dialectus est doria, eaque per atticam valde mitigata.

Quae quum ita sint, vix quisquam dubitare potest, quin poetae illi artis formas locupletiores et ampliores fecerint. At quaeritur, num verae artis finem respicientes pulcri ac divini quasi simulacra finxerint, quibus homines aeque delectarentur atque ad vitam sanctius colendam protraherentur. Multa sunt, quae, quominus hanc laudem iis tribuamus, prohibent. Comparatis enim antiquorum scriptorum iudiciis cum ipsorum reliquiis, apparet nimis eos indulsisse vulgi arbitrio, a quo tum iam non solum respublica, sed etiam ars dependebat [63]). Itaque quum non ab eo, quod verum, decorum, pulcrum esset, sed ab eo, quod multitudini placeret, artis legem et quasi normam sibi sumerent, non poterant non eo magis a recta via aberrare, quo minus haec honestis studiis dedita erat. Factum est igitur, ut sensibus blandimenta afferrent, nunc

---

[62]) Alliterationis quoque nonnulla exempla fragmentum I. Telestis exhibet.

[63]) Unde etiam rhythmus eorum postero tempore appellatus est φιλάνθρωπος et θεματικός. Plut. de mus. 12. Haec vocabula recte, ut videtur, Burettus interpretatus est, qui φιλάνθρ. dicit rhythmum nominatum esse eum, qui hominibus placeret, θεματ. eum, qui in carminibus de pretio proposito cantatis adhiberetur. Simili sensu vocabulum φιλάνθρ. usurpatum est ab Aristotele poet. 13, 1. θεματικὸς ἀγὼν saepius nominatur certamen de pretio proposito.

miris flexionibus cantum mollissimum edentes, nunc multorum instrumentorum strepitu tempestates depingentes et alia huiusmodi, a quibus musica quam maxime abhorret. Quin, quae omnino artis dignitati repugnant, vel ea carminibus celebrarunt[64]). Hunc artis statum non solum poetae comici[65]) carpunt, sed etiam Plato[66]) queritur, quod, quum antea eruditissimis viris iudicium de carminibus in theatro editis relictum esset, iam imperitae multitudinis plausus praemia tribuat, et quod poetae ingeniosi quidem, sed verae artis ignari ac furore bacchico abrepti eius arbitrio plane obnoxii sint, adeo ut, omnibus poesis generibus turbatis et legibus antiquis neglectis, solum id spectent, quod vulgi voluptati inserviat. Attamen cavendum est, ne inconsideratius agamus atque ipsis poetarum operibus perditis nimis credamus iis, quos scimus antiquitatis studiosiores fuisse. Nam praeter multa minus probanda etiam egregia quaedam eos fecisse, in fragmentis non pauca sunt, quae probent. Summi autem momenti est, quod Aristoteles saepius eos non tam vituperationis, quam laudis causa nominat et Timotheo quidem pleramque melopoeiam deberi praedicat[67]), quod Antiphanes[68]) Philoxenum propter poesim et musicam optime excultam deum vocat inter homines, quod Harpalus[69]) Philoxeni et Telestis dithyrambos dignos habuit, quos una cum optimis tragoediis Alexandro magno in Asiam mitteret. Sed iam de singulorum et vita et arte videamus.

---

[64]) Ex hoc genere est, quod Timotheus Semelam parturientem produxit eamque turpissime eiulantem fecit.

[65]) Aristophanes et Pherecrates apud Plutarch. de mus. c. 30. Aristoph. Nub. 332.

[66]) de leg. III. p. 700.

[67]) metaphys. I. 1.

[68]) ap. Athen. XIII, 555.

[69]) Plutarch. Alex. c. 8.

A. Philoxenus[1]).

I. De vita Philoxeni[2]).

Philoxenus, poeta dithyrambicus, Cytheris natus est a. CCCCXXXV. a. Ch. n., ol. LXXXVI, 2., mortuus quinquagesimo quinto aetatis anno Ephesi a. CCCLXXX., ol. C, 1. Hanc Philoxeni aetatem perspicue indicat marmor Parium [3]), quod anno CCLXIV. a. Ch. n., ad quem rationes suas refert, annos CXVI praeteriisse statuit, ex quo Philoxenus dithyrambographus LV. aetatis anno obierit. Non minus patria, quae fuerit poetae, constat. Nam quum omnes, qui eius mentionem faciunt, Cytherium appellent[4]), illud, quod apud Suidam[5]) legimus, Callistratum referre Heracleae Ponticae eum ortum esse, vix aliquam dubitationem movebit, sed aut ita accipiendum est, ut, quod Callistratus de alio Philoxeno scripserit, id Suidam de poeta dithyrambico dictum putasse statuamus, aut certe non tanti faciendum, ut omnes reli-

---

[1]) Fabric. bibl. gr. ed. Harles. II. p. 134. 315. *Ulrici, Geschichte der hellen. Poesie* v. II. p. 597 sq. *Bode, Geschichte der hell. Dichtkunst* vol. II. p. 316 sq.

[2]) Reines. var. lect. p. 472. Wyttenbach. opusc. II. p. 294 sq.

[3]) ep. LXX. p. 20. ed. Wagner. *Ἀφ' οὗ Φιλόξενος διθυραμβοποιὸς τελευτᾷ βιοὺς ἔτη* [Δ]*π, ἔτη ΗΔΠΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυθίου.*

[4]) Diod. Sic. XIV. p. 273. XV. p. 331. Athen. I, 5. f. 6. c. VIII, 341. Suid. *Φιλόξενος.* Hesych. *Δοῦλωνα.* Tzetz. hist. chil. V, 23. X, 358.

[5]) l. l.

quos, quos huius rei testes habemus, errore ductos esse censeamus. Patrem habuit Eulytidem[6]). Sed tam patre, quam patria mature destitutus est. Accidit enim, ut Cytheris expugnatis Philoxenus, aetatem puerilem nondum egressus, cum aliis incolis in servitutem abduceretur. Quo anno et qua occasione hoc factum sit, a Suida[7]), qui haec memoriae prodidit, non clare enuntiatum est. Etenim paucis tantum verbis[8]) tum Philoxenum servum venditum esse dicit, quum Lacedaemonii Cytherios in servitutem duxerint; atque id ipsum mirum est, quod per Lacedaemonios iis fortunam istam paratam esse narrat. Nam non illa demum Philoxeni aetate, sed iam pridem Lacedaemonios hanc insulam in ditionem suam redegisse nemini potest dubium esse, qui, et quam opportune ad regionem Laconicam sita sit, et quam neminem finitimorum a primis temporibus Lacedaemonii intactum reliquerint, reputaverit. Itaque Suidae narratio non videtur ad eam, qua primum Cythera Lacedaemoniorum facta sunt, occupationem referri, omninoque vix expediri posse, nisi statuamus a Lacedaemoniis Cytherios iam ante subactos rebellasse, atque iterum victos hanc poenam subiisse, ut, ne dicam omnes, magna eorum pars in servitutem migraverint. Quod, si tempus respicimus, non potuisse non factum esse intelligimus aliquamdiu post annum CCCCXXXV., quo Philoxenus natus est, et ante annum CCCCXXIV., quo Thucydides[9]) refert Lacedaemonios Cythera insulam tenuisse ac magna cura gubernasse; ita ut Philoxenus, quum in servitutem abduceretur, nondum ad undecimum aetatis annum provectus fuerit, quae aetas Suidae verbis quam maxime convenit. Verum Cytherios aliquando Spartanorum dominationem abiicere et armis

---

6) Sic nomen optimi libri exhibent, lect. vulg. *Εὐλητίδου*.

7) Hesychius quoque (l. l.) illam Philoxeni calamitatem his commemorat: *Δούλωνα. τὸν μουσικὸν Φιλόξενον· ἐπειδὴ δοῦλος ἐγεγόνει ὁ Φιλόξενος. ἦν δὲ τὸ γένος Κυθήριος.*

8) *Οὗτος ἀνδραποδισθέντων τῶν Κυθήρων ὑπὸ Λακεδαιμονίων* (*Ἀθηναίων* coni. Reines.) *ἠγοράσθη ὑπὸ Ἀγεσύλου τινὸς, καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἐτράφη, καὶ Μύρμηξ ἐκαλεῖτο.*

9) IV, 53.

libertatem sibi recuperare conatos esse per se suspicari licet, atque parum eos fide cum Lacedaemoniis stetisse exemplum habemus hoc, quod Athenienses a. CCCCXXIV. bellum iis inferentes tantum abfuit ut acriter repellerent, ut laeti excipere viderentur[10]). Attamen, quum haec coniectura, quam quidem proponere valde dubitassemus, nisi omnino historia insulae Cytherorum manca, aut potius nulla ad memoriam nostram pervenisset, antiquorum testimoniis parum nixa audaciusque facta esse videatur, aliam etiam, qua res expediatur, rationem hanc offerimus, ut Suidae narrationem vitio laborare et pro vocabulo *Λακεδαιμονίων* legendum esse *'Αθηναίων* statuamus. Facile enim in mentem venit Atheniensium expeditio, qua, quum per aestatem anni CCCCXXIV. tam regiones Peloponnesi maritimas, quam ipsam insulam Cythera occuparent, magnamque incolarum partem ubique fere abducerent, Cytherios, atque in iis Philoxenum, in servitutis statum redactos esse existimemus. Sed huic sententiae obstat auctoritas Thucydidis, qui narrat[11]) Cytherios, quoniam vix repugnantes sese Atheniensibus dedissent, magnam victorum clementiam expertos esse, ut, paucis tantummodo viris, quibus Athenienses obsidibus uterentur, deductis, omnes reliqui incolumes, nisi quod tributarii, in patria relinquerentur.

Nihil igitur certi de infelici ista Philoxeni sorte habemus, quod proferamus, sed quomodocunque servus factus est, primum venit in manus cuiusdam Agesyli, qui puerum educavit et Myrmecis nomine appellavit. Quo mortuo contigit Philoxeno, ut a Melanippide[12]) poeta

---

[10]) Thuc. IV, 54.

[11]) IV, 57. cf. c. 54.

[12]) Quum duo huius nominis poetae distinguantur, quorum alter teste Suida ol. LXV. natus sit, ergo paene saeculum ante quam Philoxenus lucem aspexit, alter autem apud Perdiccam regem, qui regnavit ab a. CCCCLIV. ad a. CCCCXIII., versatus ibique mortuus sit, sine dubio iunior Melanippides Philoxenum emit. Celeber autem hic fuit poeta dithyrambicus. v. supra p. 11.

emeretur, qui sine dubio eius indolem cognovit et excoluit, brevique eum in libertatem, sine qua ingenium efflorescere non potest, restituit. Iam ut sui iuris factus est, ubi primum vel potissimum artem suam probaverit, non constat, sedem autem suam nusquam eum firmam, sed modo hic, modo illic collocatam habuisse ex iis, quae de eius vita memoriae prodita sunt, colligitur. Nam quae a pluribus scriptoribus narrantur, sunt fere haec:

Florente aetate Philoxenus aliquod tempus Syracusis apud Dionysium maiorem vixit circa ol. XCVIII. annum tertium, quo tempore tyrannus, bellis cum Carthaginiensibus feliciter gestis, non solum ipse carminibus pangendis operam dedit, sed etiam multis, quos convocaverat, poetis familiariter usus est.

Haec debemus Diodoro Siculo [13]); sed praeter eum etiam alii multi de Philoxeno Syracusis versante mentionem faciunt, atque narratiunculae quaedam feruntur, e quibus et quomodo Philoxenus animo et moribus constitutus fuerit, et quam familiaris inter poetam et tyrannum intercesserit vivendi consuetudo, cognoscimus. Diogenes quidem Laertius [14]) exhibet hanc: Philoxenum, quum aliquando Syracusanos lateres fabricantes audivisset carmina sua male canentes, adeo hanc rem indignatum esse, ut statim istorum lateres frangeret. Aliam apud Athenaeum [15]) legimus, qui Phaniam dicit haec narrasse: Philoxenus aliquando cum Dionysio epulans huic mullum ingentem, sibi parvum propositum esse advertit. Quod quum aegre ferret, parvulum suum ad aures sibi admovit, quasi quid ex eo quaerere vellet, Dionysio autem, quid moliretur, interroganti respondit se Galateam scripturum de Nereo quaedam e mullo quaesivisse, hunc tamen dixisse iuniorem se captum esse, quam qui ea sciret, istum adultum certe omnia bene referre posse. Tum Dionysius subridens mullum suum Philoxeno misit; adeo huic suavissimo compotori favebat.

---

[13]) XV. p. 331. c. 7.
[14]) IV, 36.
[15]) I, 6. e. f.

Denique haec a pluribus, sed copiosissime a Diodoro [16]) narrata est: Philoxenus, celeberrimus dithyrambographus, quum in convivio inepta Dionysii poemata [17]) recitarentur, quid de iis iudicaret, interrogatus est. Ad quod quum liberius aliquanto responderet [18]), tyrannus ira incensus et per invidiam se reprehensum arbitratus eum in lapicidinas mittit. Sed iam postridie, amicis petentibus, revocat poetam et ad convivium benigne excipit. Ubi, quum prolixius compotationi indulgeretur, Dionysius iterum carmina sua magnopere extollit et recitatis quibusdam versibus, quibus operae sibi pretium fecisse videbatur, quid de his iam sentiat, a Philoxeno exquirit. At poeta ei ne verbo quidem respondet, sed satillitibus eius advocatis se ad lautumias abduci iubet. Iam tyrannus hanc libertatem, cuius leporem non potuit non risu excipere, aequo animo tulit. Sed tanta carminum suorum admiratione captus erat, ut iustissimas omnium laudes iis deberi opinaretur. Itaque paulo post aliquot versus, quos miserabiles affectus egregie exprimere putat, in medium profert et tertio Philoxenum urget, ut, quales hi tandem ei videantur, enuntiet. Tum quidem ille ita respondit, ut aeque tyranni benevolentiam approbationemque ac veritatem conservaret; nam quum miserabiles (οἰκτροὺς) versus istos nominaret, per ambiguitatem [19]) huius vocabuli id assecutus est, ut Dionysius versus suos sic propterea appellatos esse putaret, quod commiserationis affectu pleni es-

---

[16]) l. l.

[17]) Dionysius inprimis tragoediis scribendis operam dedit, quae tamen communi consensu omnium, qui earum mentionem faciunt, nullius pretii fuerunt, sed turgidae ac monstrosis vocabulis oneratae. v. Hellad. ap. Phot. p. 1587. Lucian. de non cred. cal. c. 14. adv. indoct. 15. Ammian. Marc. XV, 5. Cic. tuscul. disp. V, 22. cf. Wesseling. ad Diod. vol. II. p. 7.

[18]) Plut. de fort. Alex. p. 334. refert Philoxenum tragoediam Dionysii ad recensendam acceptam litura totam delevisse. cf. Ciceron. ep. ad Attic. IV, 6. Io. Tzetzes chil. V, 23. X, 358. Eustath. ad Hom. Od. p. 1691, 31. ed. Rom. Stob. florileg. 13, 16. p. 322. Gaisford. Suidas ἄπαγέ με. εἰς λατομίας.

[19]) cf. Eustath. l. l.

sent, prudentiores autem intelligerent ineptos et miseros notatos esse.

Ex his igitur Philoxenum cognoscimus hominem fuisse alacrem, facetum, artem suam magni facientem, epularum oblectamentis indulgentem quidem, non tamen adeo deditum, ut honestatem his voluptatibus posthabuerit. Immo vidimus maluisse eum verum dicere atque in lautumias secludi, quam assentari atque splendidis tyranni epulis interesse. Huc etiam referenda sunt, quae Plutarchus [20]) narrat, Philoxenum poetam, quum immodicam luxuriam in Sicilia propagari videret, ne ipse hoc communi omnium vitio contaminaretur, insulam reliquisse, quamvis fundum ibi haberet. Simul ex iis, quae enarravimus, apparet magna Philoxenum usum esse Dionysii gratia et aestimatione; licet vel ipse expertus sit, verbum verum, sed ingratum tyranno neminem dixisse impunitum. Iam vero, quod semel vidimus factum esse, ut in lautumias Philoxenus detruderetur, Luciano [21]) teste etiam saepius ei accidit. Certum autem est hac eum poena propterea quoque affectum esse, quod aemulus Dionysio exstitisset amandae Galateae, pulcrae tibicinae; atque tunc quidem non tyranni brevi rediens gratia eum e custodia reduxit, sed diu retentus ipse sibi libertatem recuperavit [22]). Iam hoc, quo in lautumiis seclusus abundabat, otio ita usus est, ut animo exacerbato indulgens quae inter ipsum, tyrannum, tibicinam intercesserant causae fabula contexeret, atque dithyrambum componeret [23]), quo Dionysium faciebat Poly-

---

[20]) de vitand. aer. al. p. 831. *Φιλόξενος δ' ὁ μελοποιὸς ἐν ἀποικίᾳ Σικελικῇ κλήρου μετασχὼν καὶ βίου καὶ οἴκου, ὁρῶν δὲ πολλὴν τρυφὴν καὶ ἡδυπάθειαν καὶ ἀμουσίαν ἐπιχωριάζουσαν, μὰ τοὺς θεούς, εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα. καὶ καταλιπὼν ἑτέροις τὸν κλῆρον ἐξέπλευσεν.* De his bonis Philoxeni, si omnino in hac narratiuncula veri quid est, sine dubio ita statuendum, ut a Dionysio data esse putemus.

[21]) adv. indoct. 15.

[22]) Athenaeus I, 6. Suid. *Φιλοξένου γραμματ.* Schol. Aristoph. Plut. v. 290.

[23]) Athen. l. l. Aelian. v. h. XII, 44. Nomine hic dithyrambus appellatus est ab aliis Cyclopis, ab aliis Galateae.

phemum Cyclopem, ipsum Ulyssem, puellam Galateam Nympham.

Ut melius illa Philoxeni poena, qualis fuerit, cognoscatur, paucis lautumiarum istarum naturam describamus. Fuerunt, quae vulgo λατομίαι a scriptoribus graecis vocantur, celebres lapicidinae in ea Syracusarum parte sitae, quae supra reliquam urbem elata occasum versus locum praeruptum tenebat, et nomine Ἐπιπολῶν appellabatur. Duo erant huius regionis eminentes colles, Labdalum et Euryelus, atque prope a Labdalo, quo loco saxum in magnam altitudinem et latitudinem excisum erat, ipsae illae lautumiae conspiciebantur [24]), in quas narratum est Philoxenum, si quid in tyrannum peccavisset, coniectum esse. Sed tam ante quam post Dionysium hae lautumiae hominum custodiae inserviebant. Legimus [25]) enim Syracusanos huc anno CCCCXIII. captos Athenienses detrusisse, atque Romanos constat, quum Siciliam tenerent, illas lautumias publicas custodias habuisse. Cui usui quam aptae fuerint, ex his, quae Cicero [26]) mirabundus de iis fecit, verbis colligitur: „Nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias nec fieri nec cogitari potest." Iam licet quidem exspectare loci naturam aliis temporibus aliam et talem, qualem Cicero describit, longa demum annorum serie multorumque operis factam esse, tamen huic similem lautumiarum faciem iam Dionysii aetate fuisse ex iis apparet, quae Aelianus [27]) retulit. Narrat enim lautumias spatium comprehendisse stadium longum, duo plethra latum, atque plures specus distinctos habuisse, per quos homines vel singuli vel plures dividerentur; Dionysium autem supra hunc locum undique clausum etiam custodum turrim condidisse, e qua omnes speluncae facile observarentur. Idem Aelianus hoc quoque narrat, multos homines in lautumiis magnam vitae partem consumpsisse, alios etiam ibi natos et educatos.

---

[24]) cf. Goeller de situ et orig. Syracus.
[25]) Thucyd. VII, 87.
[26]) in Verr. V, 27.
[27]) l. l.

esse. Denique quod Philoxenum attinet illic retentum, huius singularem dicit curam habitam, specumque valde amoenum domicilio ei datum esse, qui postea etiam nomen a poeta acceperit.

Quae quum ita sint, magna crudelitate Dionysium in Philoxenum saevisse, nemo erit, qui dicat; sed poetae tam adsueto ad continuam hominum coniunctionem vel sola seiunctio non potuit non molestissima esse. Itaque quum diutius retineretur, neque quod tempus consumpserit carmine fingendo, quo custodiae auctorem multo sale perfricuerit, neque quod fuga se in libertatem restituere conatus sit, miramur, illud miramur, quod e carcere munitissimo aufugere ei contigit. Quod quomodo factum sit, latet, relatum autem est hinc feliciter egressum Tarentum confugisse [28]. Aliquo temporis spatio interiecto tyrannus, quem facti poeniteret, literas poetae misit, quibus eum, ut rediret, exoravit. Sed tantum abfuit, ut Philoxenus eum voti compotem faceret, ut non nisi ludibrii causa ei responderet. Numquam enim se in tyranni necessitu-

[28]) Suid. l. l. in libris leguntur vocabula ἐν Τάραντι τῆς Σικελίας; viri docti autem ad unum omnes non Σικελίας, sed Ἰταλίας legendum esse consentiunt. Schol. Arist. Plut. 290. a ceteris scriptoribus non solum eo differt, quod Cythera (εἰς τὰ μέρη Κυθήρων) dicit poetam confugisse, sed etiam eo, quod hic, non in ipsis lautumiis, Cyclopem suum composuisse refert. Sed primum Tarentum poetam profectum esse, non in patriam suam, colligas ex urbis illius propinquitate Philoxeni fugae valde opportuna. Etiam hoc addam: quum non constet, quo tempore Philoxenus iterum in lautumias missus sit, Diodorus autem Sic. XV. vol. II. p. 9 ed. Wess. haec nos certiores faciat: Dionysium ol. XCVIII, 3. histriones Olympiam misisse, qui ipsius tragoedias recitarent, et, nuntio accepto has sibilis explosas esse, magna ira incensum esse; iam neminem esse, qui sibi non invideret, tyrannum sibi persuasisse, et quos habuisset familiarissimos, eos suspicione et odio persecutum esse, quin eorum multos fictis criminationibus interfecisse, Philistum autem et Leptinem in exilium pepulisse; hos Thurios se contulisse, optimeque ibi exceptos esse: — tunc Philoxenum iterum in lautumias missum esse valde probabile videtur; itemque, si hoc verum est, consentaneum eum in aliquam Italiae urbem confugisse, in qua calamitatis socii vivebant.

dinem rediturum esse eo indicavit, quod solam literam O [29]) tabulae inscripsit. Quae litera deinde in proverbium abiit tum usurpatum, si quis quod petebatur constanter negaret [30]). Postea Philoxenus in Graeciam rediit atque Corinthi aliquamdiu vixit cum Timandra, pulcra Laidis matre, quam a Dionysio olim dono acceperat [31]). Denique Europa relicta in Asiam migravit et Ephesi diem supremum obiit [32]).

Quamvis iam in describenda Philoxeni vita eo profecti simus, quo fatum ei terminos posuit, nondum tamen officio suscepto satisfecimus; sed quum plerique recentiorum, qui de poeta scripserunt, impurum eum heluonem et abiectum parasitum notaverint [33]), ex iis autem, quae de eius moribus ipsi protulerimus, epularum quidem amicum, minime tamen hominem cognoverimus, qui istis nominibus signandus sit, non possumus non recurrere ad mores Philoxeni, quales fuerint, inquirendos. Verum quantumcunque circumspeximus, nihil usquam de hac re praeter ea, quae supra enarravimus, memoriae esse proditum advertimus, nisi quod duobus locis apud Athenaeum quid rumores ferrent relatum sit. Et altero [34]) quidem Athenaeus haec dicit, esse qui Philoxenum Cytherium narrent, ut cibos ferventissimos tractare ceterisque convivis optima quaeque edendo praeripere posset, manus et os aestuosa aqua ad calorem ferendum assuefecisse. Altero [35]) loco aliquot

---

[29]) Suid. l. l. Hac litera particulam negandi signatam esse ex his apparet, quae Athen. XI. p. 466. docet: *Πάντες οἱ ἀρχαῖοι τῷ O ἀπεχρῶντο οὐ μόνον ἐφ᾽ ἧς νῦν τάττεται δυνάμεως, ἀλλὰ καὶ ὅτε τὴν δίφθογγον διασημαίνει, διὰ τοῦ O γράφουσι.*

[30]) Suid. l. l.

[31]) schol. Aristoph. Plut. v. 179.

[32]) Suid. *Φιλόξεν. Κυθήρ.* Colophone quoque Philoxenum aliquod tempus vixisse ex iis colligas, quae Hermesianax ap. Athen. XIII. p. 598, e. de Philoxeno praedicat.

[33]) Casaub. ad Athen. pl. ll. Perizon. ad Ael. v. h. X, 9. Wesseling. ad Diod. Sic. t. II. p. 8., qui Philoxenum scurram et liguritorem nominat.

[34]) I, 5. e. f.

[35]) VIII, 341.

versus Machonis comici leguntur, qui fere sic habent: Philoxenum dithyrambographum dicunt immodicum lurconem fuisse, qui quum aliquando ingentem polypum Syracusis emisset, totum praeter caput devoraverit. Iam ubi haec ciborum copia eum vehementer presserit, medicum arcessitum esse. Cui supremam horam imminere profitenti et ut quam celerrime testamentum faceret adhortanti Philoxenum satis iocose respondisse, quin etiam postulasse, ut reliquum polypi caput sibi porrigeretur, quo comeso se omnia sua e vita decedentem secum ferre. Hos versus etiam alii eiusdem Machonis, qui ad hanc rem faciunt, excipiunt. Efferunt haec: Philoxenum Cytherium gruis collum sibi optasse, ut quam plurimos cibos deglutiens quam diutissime eorum gustu delectaretur. Ut ab ultimo initium petam, Macho Philoxeno Cytherio tribuit, quod graviores huius rei testes Aristoteles [36]) et Theophilus [37]) de alio Philoxeno, Eryxidis filio, retulerunt. Quod quidem a poeta comico, eoque aetate duo saecula a Philoxeno remoto, non miramur factum esse. Ad libidinem enim hic, et ut e re sua erat, Philoxenum, quem risui dare placuit, finxit. Quod quum ita habeat, eadem licentia Machonem suspicari licet in illis quoque versibus usum esse, quibus Philoxenum Syracusis moribundum proposuit, ut quae vera, quae ficta exhibuerit diiudicari non possit. Non plus denique illud valet, quod famam tulisse de Philoxeno os et manus ad calorem assuefaciente primo loco commemoravimus. Nam quum certum auctorem Chrysippum Athenaeus [38]) nominet, qui hoc de Philoxeno Leucadio narraverit, vix dubitari potest, quin hoc quoque ab alio ad Cytherium poetam falso translatum sit.

Cognovimus igitur iam antiquis temporibus de Philoxeno ea narrata esse, quae, si quis obiter respexerit, iure illas recentiorum criminationes provocasse videantur, sed, si accuratius inquisiverit, nullius appareant momenti esse, ac

---

[36]) ethic. III, 13. probl. XXVIII, 7. p. 205. ed. Sylburg.
[37]) ap. Athen. I, 6. b.
[38]) Athen. I, 5. e.

non nisi ita orta, ut sordes lurconum, qui eodem nomine et eadem fere aetate uterentur atque Cytherius poeta, in hunc falso translatae sint. Iam de his lurconibus quid statuendum sit, videamus. Mentionem eorum quum alii faciunt tum Athenaeus, qui I. p. 5. b — 6. c. haec refert: Philoxenum Leucadium famosum parasitum eundemque poetam fuisse; poema eum pepigisse *Δεῖπνον* inscriptum, cuius aliquot versus in Phanone Platonis comici legantur (hos ipsos, quibus ars ciborum parandorum docetur, Athenaeus servavit); placentarum genus ab eo nomen accepisse [39]); os et manus eum calida aqua perluere solitum fuisse, ut celerrime cibos ferventes devorare posset. Quod quidem ubi scriptor monuit a nonnullis etiam de Cytherio Philoxeno et aliis narrari, ita pergit: Philoxenum [40]) domos circumisse cum pueris, qui condimenta ferrent, et cibos, quos invenisset coctos, condivisse atque avide comedisse. Eodem modo eum Ephesum aliquando profectum, quum forum invenisset obsoniis destitutum, non invitatum ad convivium nuptiale accessisse et hymenaeum cantasse; quo quum omnes valde delectasset, sponsum eum rogasse, ut postero die ad epulas suas rediret, Philoxenum autem respondisse se venturum esse, si obsonia nulla venderentur [41]). Deinde Athenaeus Theophili verba exhibet, qui-

---

[39]) cf. Polluc. on. VI, 78.

[40]) Leucadium hunc esse Philoxenum ex ipsis Athenaei verbis apparet. Redit enim p. 6. a. eius oratio ad eum, cui totum illum locum tribuit. Male igitur factum est a viris doctis, quod Philoxenum Cytherium esse, de quo ista narrata sint, statuerunt. Commemoratur quidem Phil. Cyth. 5. f., sed cum eo etiam alii, quos Athenaeus orationem intercipiens notat a quibusdam dici idem fecisse, quod ipse modo de Ph. Leucadio narravit. Recte Suidas *Φιλόξ. ὀψοφ.* omnia illa ad Philoxenum Leucadium refert. Quo iure autem illam quoque narratiunculam de Philoxeno maiorem mullum a Dionysio expetente, quam supra vidimus ab Athenaeo ad Philoxenum Cytherium relatam esse (v. p. 23. not. 15.), sub nomine Philoxeni Leucadii exhibuerit, non liquet. Ceterum corruptum illud Philoxeni cognomen in libris Suidae legitur *Φιλόξενος Λευκαδίου ὀψ.* et s. v. *Τεμαχ.* — *Κλαυδίου.*

[41]) Huic quidem narratiunculae addit verba: *ἦν δὲ διθυραμβοποιός*, quibus sane Philoxenum Cytherium videtur respexisse.

bus Philoxenus Eryxidis filius vituperatur, quod gruis sibi collum optaverit, et, aliis quibusdam interiectis, hunc a plerisque φίλιχθυν, ab Aristotele, qui etiam eius Δεῖπνον commemoraverit [42]), simpliciter φιλόδειπνον cognominatum esse addit. Aliis denique locis [43]) Philoxenum, cognomine Pternocopidem, voracem parasitum nominat, quem facete quidem, sed minime caste dictis compotores delectasse dicit.

Iam quum modo de Philoxeno Leucadio, modo de Philoxeno Eryxidis filio, modo de Philoxeno cognomine Pternocopidis appellato sermo fuerit, quaeritur, num sic tres diversi nominati sint, an potius unus idemque Philoxenus, Leucade natus, Eryxidis filius, pluribus, quae eum parasitum et lurconem notant, cognominibus signatus, φίλιχθυς, φιλόδειπνος, πτερνοκόπις. Res sane ambigua est [44]); tamen hoc alterum probabilius videtur. Quaecunque enim sub Philoxeni nomine modo vidimus relata esse, facile ad unum referri possunt; omnia notant hominem vorandi cupiditate abreptum, sed facetum et vel carminum pangendorum compotem. Accedit, quod Philoxenum certe Leucadium ab Eryxidis filio non diversum fuisse ipsa Athenaei verba demonstrant, quibus convivii scriptor Philoxenus nunc Leucadius, nunc Eryxidis filius nominatus est. Ceterum si verum est, quod apud Athenaeum [45])

---

[42]) Verba Aristotelis haec affert: Δημηγοροῦντες ἐν τοῖς ὄχλοις κατατρίβουσιν ὅλην τὴν ἡμέραν ἐν τοῖς θαύμασι καὶ πρὸς τοὺς ἐκ τοῦ Φάσιδος ἢ Βορυσθένους καταπλέοντας, ἀνεγνωκότες οὐδὲν πλὴν εἰ τὸ Φιλοξένου Δεῖπνον οὐχ ὅλον. Notandum est Athenaeum hic Eryxidis filium nominasse convivii scriptorem, quem supra dixerit Philoxenum Leucadium. Cf. Plutarch. sympos. IV. p. 668. an recte dict. sit lat. esse viv. p. 1128. Eustath. ad Od. p. 1817.

[43]) VI, 239. f. 241. e. 242. b.

[44]) Copiosissime de hac re disputavit Wyttenbachius (Philomath. t. II. p. 64 seq. opusc. II. p. 294—301.), qui hos distinguit Philoxenos: I. Ph. Cytherium et eundem Leucadium cognominatum, poetam melicum et dithyrambicum; II. Ph. Eryxidis filium, heluonem; III. Ph. cognomine Pternocopidem, parasitum. Denique alios Philoxenos posterioris aetatis enumerat.

[45]) V, 220. c.

legimus, hunc Philoxenum Anaxagorae discipulum fuisse, aequalis fuit Philoxeno Cytherio aliquanto maior. Hoc si tenemus et reliqua, quae huc faciunt, cogitamus, facile et mature hunc cum illo commutari, et quod alter peccaret alteri crimini dari potuisse intelligimus. Itaque diligenter et caute nobis agendum est, ut suum cuique restituamus, atque cavendum non solum, ne leviter quod Leucadii est ad Cytherium transferamus, sed etiam ne, si quod minus certum de vorace aliquo Philoxeno narratum est, quale est ab Aeliano v. h. X, 9., de dithyrambico accipiamus relatum esse, quod potius ad parasitum relegandum.

II. De Philoxeni arte.

Poemata, quae Philoxenus composuerit, a Suida [1]) haec nominantur: XXIV dithyrambi, Comastes, genealogia Aeacidarum; e dithyrambis autem unus inscriptus Cyclops vel Galatea a pluribus [2]) laudatur. Praeterea carmen nomine Syrus ab Hesychio [3]) commemoratur. Denique duo exstant epigrammata, alterum integrum [4]), alterum mutilatum [5]).

Quorum poematum quum ne unum quidem integrum (excepto epigrammate), sed pauca tantum et manca fragmenta ad memoriam nostram pervenerint, quaestio de Philoxeni poesi non potest non valde impedita esse. Attamen hac inopia molestissima laborantibus prospere nobis hoc evenit, quod Cyclopis carminis, iudicio tam Aeliani quam grammaticorum Alexandrinorum, omnium, quae Philoxenus fecerit, praestantissimi, aliquam certe imaginem refingere licet. Hoc carmen, dum alii Cyclopis alii Gala-

---

1) s. v. Φιλόξενος et Ἀντιγενίδης.

2) Aristot. poet. II. Schol. ad Aristoph. Plut. v. 290. Aelian. v. h. XII, 44. Athen. I, 7.

3) s. v. Μεσαύχενες. cf. fragm. VIII.

4) Iacobs. anthol. gr. v. II. p. 58.

5) Antig. hist. mirab. 127.

teae nomine commemorant, dithyrambum omnes nominant. Quod quale fuerit, ut facilius intelligatur, ea revocanda sunt, quae supra [6]) de Philoxeno propter amatam Galateam in lautumias misso narravimus. Vidimus enim poetam ibi retentum a Dionysio, custodiae auctore, hanc ultionem petivisse, ut quae inter ipsum, Dionysium, Galateam tibicinam causae intercessissent reputans carmen illud componeret, in quo tyrannum Cyclopis, se ipsum Ulyssis, tibicinam Nymphae Galateae persona indueret. Fabulam autem, qua has personas agentes fecit, quantum quidem nobis apparet, contexuit hanc: Cyclops prodit adeo mitigatus amore, ut, omni, qua natura imbutus erat, ferocia deposita, saccum oleribus refertum secum portet et citharam in manu teneat. Exsultat, cantat, citharam pulsat summa laetitia abreptus, quin ipsum, quem ducit, gregem adhortatur, ut petulantiae indulgeat participemque se gerat felicitatis suae [7]). Tum Galateae cantilena ardorem profitetur ipsamque ad amorem allicit [8]); mox ignes suos, ubi Galateae animum iis non incendi intelligit, canendo restinguere studet, delphinisque mandat, ut quomodo amoris vim leniat Galateae nuntient [9]). Deinde reversus in antrum suum Ulyssem deprehendit agnos mactantem, quem atrociter alloquitur minans aeque eum ipsum mactatum iri [10]). Ulysses primum terrore percutitur [11]), sed brevi animus redit, dolumque opponit immanitati. Itaque facili negotio Cyclopem eo perducit, quo totus ex arbitrio suo pendeat. Vinum enim ei porrigit, quod ut primum gustavit, non prius remittit, quam impotentiae succumbit ac sopore vincitur. Iam Ulysses choro adiuvante [12]) oculum Cyclopi

---

[6]) cf. p. 27 seq.

[7]) Aristoph. Plut. v. 290 seq. cf. schol. fragm. I.

[8]) schol. Arist. l. l.

[9]) Plut. Sympos. I. p. 622. c. schol. Theocr. XI, 1. Athen. XIII, 564. fr. II.

[10]) Suid. v. ἔθυσας. fragm. III.

[11]) Zenob. proverb. 45. Plut. an seni sit ger. resp. p. 795. fragm. IV.

[12]) Hoc ex iis verbis colligitur, quibus Aristoph. l. l. v. 296 seq. chorum Carioni respondentem fecit.

pęlo extorquet [13]) libertatemque sibi vindicat. Chorus autem, sine dubio satyrorum, aderat, qui nunc fabulam cantibus intercepisse, nunc cum ipsis personis egisse putandus est [14]).

Iam his totum fabulae decursum descriptum esse non dixerim, quum consilium, quo poeta carmen finxerit, cogitanti consentaneum videatur Ulyssem etiam cum Galatea agentem in scenam productum esse. Sed vel ex iis, quorum certa exstat notitia, indolem dithyrambi illius intelligimus plane dramaticam fuisse. Exemplum igitur habemus Cyclopem Philoxeni, ex quo luculentissime apparet illud, quod supra indicavimus, dithyrambum, quum totam poesim lyricam complexus esset, etiam in dramaticam transiisse [15]). Quodsi quaerimus, quando et a quo primum factum sit, nec ante aetatem Philoxeni evenisse verisimile est, et ab hoc ipso poeta institutum esse inde quis colligat, quod I. Tzetzes et scholiastes Pindari Philoxenum dithyrambum invenisse referunt. Sed certi quid de hac re statui non potest. Ceterum e genere comico illum Philoxeni dithyrambum fuisse quum, modo animi meminerimus, quo eum poeta composuerit, suspicamur, tum perspicue intelligimus, ubi imaginem Cyclopis, rudissimi monstri, gestu, voce, citharae lusu ardorem efferentis, Galateam ad amorem invitantis, vanos ignes deplorantis [16])

---

[13]) Occaecato hoc Cyclopis oculo scholiastes l. l. dicit Philoxenum Dionysii oculos notasse, qui obtusiores fuerint.

[14]) cf. Aristoph. l. l. v. 296 sq.

[15]) Hoc scholiastis Aristophanis ansam dedisse videtur Philoxenum non solum διθυραμβοποιόν, sed etiam τραγῳδιδάσκαλον et τραγικόν, atque poema ipsum δρᾶμα nominandi. Zenobius quoque Philoxeni Cyclopem δρᾶμα appellat. cf. infra p. 43.

[16]) Qualis Cyclops in Galatea urens a Philoxeno fictus sit, etiam melius apparebit, si Theocriti id. XI. consideraverimus, quo Cyclops propositus est plane rudis et illiberalis, qui rustico more opes enumerans formamque foedam ipse stolide describens Galateae amorem captat. Ceterum Polyphemi et Galateae Nymphae amorem iam Bacchylides celebravit, qui Galateam a Polyphemo Galatum genuisse exhibuit. Natal. Com. I, 9, 8. Quod si verum est, Duris (secundum argumentum VI. id. Theocriti) errat, qui Philoxenum primum dixit amorem Polyphemi et Galateae finxisse.

ex Aristophanis verbis et scholiastarum notis nobis refinxerimus [17]).

Iam vero dum sic Cyclopis dithyrambi naturam cognitam, rationemque, qua Philoxenus dithyrambum excoluerit, unam perspectam habemus, tota eius reliqua poesis tanta caligine offusa est, ut omnes, quibus usus sit, species nullo modo eruere liceat. De reliquis enim carminibus, quorum tituli commemorantur, nihil prorsus memoriae proditum est, e quo aliquam eorum cognitionem nobis parare possimus. De genealogia tamen Aeacidarum, quum Suidas carmen melicum appellet, certe hoc, quod quidem de omnibus Philoxeni carminibus facile suspiceris, docemur, cantu editum fuisse. In Comaste autem edendo quum Suidas referat Antigenidem, Philoxeni tibicinem, prodiisse calceis milesiis et pallio crocato indutum [18]), ex hoc ha-

---

[17]) Haec si tenemus, facile intelligimus Aristotelis verba: ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς διθυράμβους καὶ νόμους, ὡς Πέρσας καὶ Κύκλωπας Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος, μιμήσαιτο ἄν τις, quae leguntur in libro de arte poet. II., ita accipienda esse, ut, quum scriptor in antecedentibus omnes poetas dixerit eos, quos imitando finxerint, aut sublimiores, aut humiliores ingenio facere, quam homines esse soleant, iam enuntiet hoc in dithyrambis et nomis apparere et quidem ita, ut dicat Cyclopem in dithyrambis et Timothei et Philoxeni humilem et ridiculum, Persas in nomo Timothei (Philoxenum quoque de Persis carmen fecisse nusquam memoriae proditum est) strenuos et egregios propositos esse.

[18]) Ἀντιγενίδης. Ἀντιγενίδης Σατύρου Θηβαῖος μουσικός, αὐλῳδὸς Φιλοξένου. Οὗτος ὑποδήμασι Μιλησίοις πρῶτος ἐχρήσατο καὶ κροκωτὸν ἐν τῷ Κωμαστῇ περιεβάλλετο ἱμάτιον. Ἔγραψε μέλη. Ex his intelligimus Antigenidem, quem celeberrimum fuisse tibicinem multi testantur (v. Harpocration s. v. Apulei. Florid. I, 4. Tatian. ad Gr. 40. Philo, quod omnis prob. lib. 584. Plut. de mus. 21. p. 1138. a.), Philoxenum in edendis dithyrambis tibiae lusu adiuvasse. Aetatem Iphicratis et Epaminondae attigit (Plut. apophth. reg. et imp. Epam. c. 20. Athen. IV, 131.). Sed quod Plutarchus (de fort. Alex. or. II, 2. p. 385. A.) narrat, Antigenidem cum Alexandro Magno vixisse, quem tibia canens vel ad arma capienda commoverit, non videtur tanti faciendum esse, ut Antigenidem negemus Philoxeni aequalem fuisse, sed potius ita

bitu vere bacchico de dithyrambica carminis indole coniecturam facere licet. Ceterum non liquet, num ad Bacchi cultum arctius pertinuerit. Comastes est enim qui κῶμον facit, κῶμος autem non solum agmen est, quo Bacchi cultores diebus festis ad tibiarum lusum canentes procedebant, sed omnino agmen [19]), quo convivae finito convivio similiter urbem perlustrabant usque ad fores puellarum vel puerorum, ibique carmina decantabant, quae παρακλαυσίθυρα vocabantur. Cuius generis quum multa exstent [20]), unum est Theocriti, quod etiam Comastes inscribitur [21]).

De dictione, qua Philoxenus usus sit, quum carminum reliquiae minutiores ad nos pervenerint, accuratior disquisitio institui non potest. Licet tamen vel ex paucis istis, qui nobis servati sunt, versibus cognoscere vere dithyrambicam. Invenitur enim epithetorum [22]) compositorum auresque explentium magna copia, ac vocabulorum figuratorum [23]) audax usus. Eandem etiam Antiphanes comicus, Philoxeni paene aequalis, descripsit [24]), qui quum reliqua, tum dictionem Philoxeni novis et peculiaribus verbis insignem magnopere laudavit.

---

accipiendum, ut Plutarchum statuamus errore ductum illud narrasse. Praesto enim sunt multi, qui hoc ipsum Timotheum tibicinem valuisse narrent; v. Suid. v. Ἀλέξανδρος. ὀρθιασμάτων. Eustath. ad Il. XI, 3, 18. Lips. Dio. Chrys. or. 1. Himer. ap. Photium p. 369. b. 372. a. 33. Basil. de leg. Gr. §. 15.

19) Huiusmodi comum iam Hesiodus descripsit (clyp. Herc. v. 280.).

20) Aristoph. Eccles. 945. Theocr. id. 23. Plaut. Curcul. I, 269. Tibull. I, 2, 9. — Prop. I, 16, 17. Ovid. Amor. I, 6. Metamorph. XIV, 718. Horat. od. III, 10.

21) id. III.

22) fragm. II. V.

23) cf. fragm. VIII. IX.

24) ap. Athen. XIII, 555. servata sunt haec eius verba:

Πολὺ γ' ἐστὶ πάντων τῶν ποιητῶν διάφορος
Ὁ Φιλόξενος· τὰ πρῶτα μὲν γὰρ ὀνόμασιν
Ἰδίοισι καὶ καινοῖσι χρῆται πανταχοῦ.
Ἔπειτα τὰ μέλη μεταβολαῖς καὶ χρώμασιν
Ὡς εὖ κέκραται. θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν
Ἐκεῖνος, εἰδὼς τὴν ἀληθῶς μουσικήν.

Metrum fragmenta exhibent simplicissime compositum; invenimus enim aut iisdem pedibus decurrens, aut similibus coniunctis, ut trochaeis et dactylis. Epigrammatum disticha sunt elegantissima. Ceterum quam artem Philoxenus in metris componendis adhibuerit, e mancis carminum fragmentis non licet diiudicare. Nihil enim ex iis redundat, e quo quod Dionysium et Plutarchum de metris posteriorum dithyrambicorum in universum disputasse supra vidimus [25]) quomodo ad Philoxenum pertineat, perspiciamus.

Musicam qualem dithyrambici illi excoluerint, supra indicatum est.

Ubi quum praeter cetera hoc iis videremus peculiare et proprium esse, quod genera et harmonias, a prioribus diligenter distenta, commiscuerint, iam huius rei exemplum petamus e Philoxeni melopoeia. Luculentissimum habemus id, quod Aristoteles [26]) prodidit, Philoxenum aliquando conatum esse dithyrambum in harmonia doria componere, sed quum phrygia dithyrambo maxime et paene sola conveniret, non potuisse, eum non illa relicta ad hanc transire. Hanc varietatem dum Antiphanes laudibus evehit, Pherecrates comicus, severus omnium posterioris aetatis musicorum censor, mala nota Philoxeni melopoeiam adspersit. Fecit enim Musicam in comoedia, qua eam induxit, misero habitu crimina a musicis sibi illata enumerantem, haec de Philoxeno eloquentem [27]):

---

[25]) v. supra not. 60.

[26]) polit. VIII, 7. Dubium est autem, utrum Philoxeno illud inter componendum an inter ludendum acciderit.

[27]) ap. Plut. de mus. XXX. p. 1142. Pherecratis esse hos versus, non Aristophanis nemo non intelligit, qui Plutarchi locum accuratius inspexit. Plutarchus enim, ubi multos Pherecratis versus, quibus alii musici perstringuntur, exhibuit, ad Philoxenum sibi transitum ita parat, ut verba interponat: *Καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς μνημονεύει Φιλοξένου, καί φησιν, ὅτι εἰς τοὺς κυκλίους χοροὺς μέλη εἰσηνέγκατο.* Quibus interiectis quum pergat: *ἡ δὲ μουσικὴ λέγει ταῦτα*, versusque illos afferat, patet eum ad Musicam redire, quam Pherecrates loquentem fecit. Hoc ita habere etiam ipsi versus probant, quorum indoles plane

'Εξαρμονίους ὑπερβολαίους τ' ἀνοσίους
Καὶ νιγλάρους, ὥσπερ τε τὰς ῥαφάνους ὅλην
Κάμπτων με κατεμέστωσε.

Notatur his cantus artificiosus, mollis, non incitans ad virtutem, sed sensibus blandiens. Quod singula attinet, oratio abrupta ita videatur supplenda esse, ut verba *καμπὰς ποιῶν* praeivisse statuamus. Eodem enim modo Cinesias in aliquo antecedentium versuum dictus est *ἐξαρμονίους καμπὰς ποιῶν*. *καμπαί* autem sunt cantus flexiones, quibus soni nimia arte minutius dissecantur. Cum hoc facit, quod in sequentibus Philoxenus dicitur *ὥσπερ* . . . *κάμπτων*, ut olera totam me dissecans. Accuratius autem istae flexiones notantur *ἐξαρμ.*, quae harmoniam excedunt; *ὑπερβ.* quae tantum in altis supremi tetrachordi sonis versantur; *ἀνοσ.* frivolae; *νιγλαρ.* ad petulantiam allicientes.

Praeter Pherecratem carpsit musicam a Philoxeno excultam etiam Aristophanes [28]), qui id risui dedit, quod Cyclops ita factus sit canens, ut voces interdum secundum citharae sonum formatas emiserit.

Quod Pollux [29]) tradidit, a Philoxeno harmoniam locricam vel hypodoriam inventam esse, non recte habet: etenim iam Pindari aetate in usu erat [30]). Probabile est autem Philoxenum eam imprimis adhibuisse.

Haec fere sunt, quae sola de Philoxeno disputare nobis licuit. Fatendum est igitur iudicium nostrum de hoc poeta non posse non valde impeditum et coarctatum esse. Attamen non videmur nobis inconsideratius egisse,

---

eadem est atque ante exhibitorum. Ceterum in verbis *καὶ Ἀριστοφάνης κτλ.* nihil videtur inesse, quam Aristophanem mentionem Philoxeni fecisse, qui dithyramborum cantus composuerit. Illud certe, quod Ulricus ex iis collegit, Philoxenum primum dictum esse, qui cantilenas dithyrambicas vere melodice formaverit, alienum est. Quis enim in animum sibi inducat, hoc tum demum et per Philoxenum institutum esse, non iam pridem per Lasum, vel Pindarum, vel Melanippidem, vel Phrynidem, vel Crexum?

[28]) cf. fragm. I.

[29]) Poll. onom. IV, 9, 65.

[30]) Boeckh de metr. Pind. p. 207. 212. 239. 285.

ubi contenderimus splendidis eum facetiis et magna ingenii, nisi sublimitate, certe alacritate excelluisse. Quo minus autem nobis datum est, ut ex ipsis eius carminibus quid praestiterit perspiciamus, eo magis advertendum hoc, quod poeta fuerit ab aequalibus longe plurimis gratissime acceptus. Iuvat igitur meminisse carmina Philoxeni digna habita esse, quibus Alexander Magnus delectaretur [31]), et modos eius musicos a choris Arcadum, musicae studiosissimorum, diebus festis cantatos esse [32]); neque parvi faciendum est, quod Musam Philoxeni populus toto animo complexus est, ut vel a lateres fabricantibus eius carmina cantarentur [33]), atque multa eius dicta proverbiorum loco in omnium ore essent [34]). Laudatores quoque disertissimi poetae plures exstiterunt, quorum Hermesianax [35]) eum dixit *Βάκχου καὶ λωτοῦ πιστότατον ταμίην*, Diodorus autem Siculus [36]) appellavit excellentissimum dithyrambicum, Antiphanes denique celebravit omnium poetarum praestantissimum, immo deum inter homines. Iam vero, si ne obtrectatores quidem ei defuerunt, quorum gravissimum cognovimus Aristophanem comicum, vituperationem ita elocuti sunt, ut non solum Philoxenum, sed omnes istius aetatis musicos et poetas mala nota adspergerent, existimantes his leges artis et musicae et poeticae negligi, omninoque antiquam disciplinam, cuius Aristophanes semper se praebuit acerrimum vindicem, destrui.

---

31) v. supra p. 19.
32) Polyb. IV, 20. Athen. XV, 626. B.
33) v. supra p. 23.
34) v. fragm. III. IV. VIII.
35) ap. Athen. XIII. p. 598. E.
36) XV, 381.

III. Carminum fragmenta.

ΚΥΚΛΩΨ.

I.

ΚΑΡ. Καὶ μὴν ἐγὼ βουλήσομαι, θρεττανελό, τὸν Κύκλωπα
μιμούμενος, καὶ τοῖν ποδοῖν ὡδὶ παρενσαλεύων,
ὑμᾶς ἄγειν· Ἀλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπαναβοῶντες
βληχώμενοί τε προβατίων
αἰγῶν τε κιναβρώντων μέλη
ἕπεσθ' ἀπεψωλημένοι· τράγοι δ' ἀκρατιεῖσθε.
ΧΟΡ. Ἡμεῖς δέ γ' αὖ ζητήσομεν, θρεττανελό, τὸν Κύκλωπα
βληχώμενοι σὲ τουτονὶ πεινῶντα καταλαβόντες,
πήραν ἔχοντα λάχανά τ' ἄγρια δροσερά, κραιπαλῶντα,
ἡγούμενον τοῖς προβατίοις,
εἰκῇ δὲ καταδαρθέντα που,
μέγαν λαβόντες ἡμμένον σφηκίσκον ἐκτυφλῶσαι.

Descripsi hos versus ex Aristophanis Pluto, quo a v. 290. leguntur. Copiosis scholiastarum [1]) notis docemur

---

[1]) Apponam verba scholiastae, qui in ed. Hemsterh. secundo loco positus est:

Φιλόξενον τὸν Διθυραμβοποιὸν ἢ Τραγῳδοδιδάσκαλόν διασύρει, ὃς ἔγραψε τὸν ἔρωτα τοῦ Κύκλωπος τὸν ἐπὶ Γαλατείᾳ· εἶτα κιθάρας ἦχον μιμούμενος ἐν τῷ συγγράμματι τοῦτό φησι τὸ ῥῆμα θρεττανελό· ἐκεῖ γὰρ εἰσάγει τὸν Κύκλωπα κιθαρίζοντα [*καὶ ἐρεθίζοντα* Suidas addit] *τὴν Γαλάτειαν. Φιλόξενος δὲ ὁ Διθυραμβοποιὸς ἐν Σικελίᾳ ἦν παρὰ Δωριεῦσι* [*Διονυσίῳ* coni. Hemsterh.]. *λέγουσι δὲ, ὅτι ποτὲ Γαλατείᾳ τινὶ παλλακίδι Διονυ-*

Aristophanem his Philoxeni dithyrambum, Cyclopis nomine inscriptum, carpsisse, atque ex ipsis versibus intelligimus hoc ita factum esse, ut Cario servus, gratissimo nuntio ad chorum delato, hunc pro grege habens tanquam alter Cyclops Philoxenius laetitiam suam efferret, chorus autem Cyclopis istius habitum describens se, partibus chori a Philoxeno propositi susceptis, excaecaturum eum esse minaretur. Itaque e chori verbis discimus, qualis Cyclops a Philoxeno in scenam inductus sit, in oratione autem Carionis ipsa aliquot huius verba nobis servata sunt.

Atqui scholiastae quidem diserte dicunt vocem *θρεττανελό* et verba *'Αλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπαναβοῶντες* e Philoxeni dithyrambo sumpta esse. De sequentibus non liquet, utrum verba integra Philoxeni sint, an Aristophanis Cyclopis Philoxenii dictis illudentis. Quae quid sibi velint, ex ipsis apparet, *θρεττανελό* autem scholiastae docent vocem esse secundum citharae sonum formatam, quam Cyclops laetitia exsultans interdum cantui subiecerit[2]). Iam igitur et hoc *θρεττανελό* et omnino ratio, qua Cyclops a Philoxeno productus erat, Aristophani ansam praebuerunt huius poetae deridendi[3]). Cum hoc θρεττα-

---

σίον προσέβαλλε, καὶ μαθὼν Διονύσιος ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς λατομίαν. φεύγων δὲ ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Κυθήρων, καὶ ἐκεῖ δρᾶμα τὴν Γαλάτειαν ἐποίησεν, ἐν ᾧ εἰσήνεγκε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας· τοῦτο δὲ αἰνιττόμενος εἰς Διονύσιον· ἀπείκασε γὰρ αὐτὸν τῷ Κύκλωπι, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὁ Διονύσιος οὐκ ὠξυδόρκει. Cum his conferenda sunt quae Athen. I, 7. A. refert: *Ἐπεὶ δὲ τὴν ἐρωμένην Γαλάτειαν ἐφωράθη διαφθείρων, εἰς τὰς λατομίας ἐβλήθη· ἐν αἷς ποιῶν τὸν Κύκλωπα συνέθηκε τὸν μῦθον εἰς τὸ περὶ αὐτὸν γενόμενον πάθος, τὸν μὲν Διονύσιον Κύκλωπα ὑποστησάμενος, τὴν δ' αὐλητρίδα Γαλάτειαν, ἑαυτὸν δ' Ὀδυσσέα.*

[2]) cf. n. 1. Alius: *ἔστι δὲ θρεττανελὸ τῆς λύρας ἀπήχημα, καὶ οὐ συνάπτεται πρὸς τὴν σύνταξιν· ἀλλὰ διότι καὶ αὐτὸς ᾖδε, τούτου χάριν ἐνέθηκεν.* Alius: *τὸ δὲ θρεττανελὸ μέλος καὶ κρουμάτιόν ἐστι. τὸ δὲ ἀλλ' — — ἐπαναβοῶντες ἐκ τοῦ Κύκλωπος Φιλοξένου ἐστί.*

[3]) Schol. *παιγνιωδῶς ἐπιφέρει τὰ τοῦ Φιλοξένου εἰπόντος*

νελό conferendum est illud quod Euripides apud Aristophanem[4]) profert *φλαττοθραττοφλαττόθρατ*.

II.

– –́ ⏑ ⏑ – ⏓
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏖́ ⏑ – ⏓
⏖́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ – –

Ὦ καλλιπρόσωπε
χρυσεοβόστρυχε Γαλάτεια,
χαριτόφωνε κάλλος Ἐρώτων.

Leguntur hi versus, quibus Cyclops Galateam invocavit, apud Athenaeum XIII, 564. *Ὁ δὲ τοῦ Κυθηρίου Φιλοξένου Κύκλωψ, ἐρῶν τῆς Γαλατείας καὶ ἐπαινῶν αὐτῆς τὸ κάλλος, προμαντευόμενος τὴν τύφλωσιν, πάντα μᾶλλον αὐτῆς ἐπαινεῖ ἢ τῶν ὀφθαλμῶν μνημονεύει, λέγων ὧδε· ὦ καλλ. κτλ.* cf. Eustath. ad Od. 1558, 15. p. 247, 27. Lips. Pro *κάλλος* Fiorillo observ. crit. in Ath. p. I. p. 69. coniecit *θάλλος*, quod licet Schweighaeusero arriserit, haud scio an sensum non reddat aptiorem. Nam per *κάλλος Ἐρώτων* Galatea optime et vere poetice notatur omnium venustissima, nempe talis, qualis est Amorum pulcritudo. Itaque a librorum scriptura non censeo decedendum esse.

Ceterum in paucis his versibus videre licet illam, quam supra tetigimus, epithetorum grandisonorum cumulationem. Metrum logaoedicum bene respondet Cyclopis animo amore emollito.

τὸν Κύκλωπα λάχανα ἐσθίειν, κρέα γὰρ ἤσθιεν, ὥς φησιν Ὅμηρος, οὐ λάχανα.

4) ran. v. 1286 sq.

III.

⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ – –

Ἔθυσας ἀντιθύσῃ.

Haec verba, quae particulam versus iambici continent, leguntur et apud Suidam (s. v.) et in prov. Vatic. II, 1. In Suidae autem libris quum legatur *ἔθυσας ἀντὶ τοῦ θύσῃ*, genuinam lectionem ex hoc altero fonte primus restituit Gaisfordius. Annotavit Suidas haec: *τοῦτο παρὰ Φιλοξένῳ ὁ Κύκλωψ λέγει πρὸς τὸν Ὀδυσσέα. Ἀπεκδέχονται γὰρ τὸ*

Ἐνθάδε πῦρ κείαντες ἐθύσαμεν

παρὰ τῷ ποιητῇ εἰρῆσθαι ἐπὶ τῶν ἀρνῶν, οὐχὶ δὲ τὸ ἀπεθύσαμεν νοεῖσθαι. In prov. Vatic. haec legimus addita: *ἐπὶ τῶν οἷς ἔδρασαν ὅμοια παθόντων.* Docemur igitur Cyclopem in Philoxeni dithyrambo verbis illis Ulyssi minatum esse, ut agnos suos mactaverit, sic ipsum mactatum iri; postero autem tempore hoc dictum in proverbium abiisse de iis usurpatum, qui, qua alios affecissent noxa, eadem ipsi punirentur.

IV.

– ⏑́ ⏑ – – ⏑⏑́ ⏑ – ⏑ – ⏑

Οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν.

Scripsi *συγκαθεῖρξεν* pro vulgato *συγκατεῖρξεν*, quum non prohibendi, sed includendi significatio desideretur. cf. Lobeck. ad Soph. Ai. v. 753. Legitur hic versus apud Zenobium, prov. V, 45., ubi haec addita sunt: *Ἐπὶ τῶν δυσαvασχετούντων ἐπί τινι δυσχερεῖ πράγματι λέγεται ἡ παροιμία. Κύκλωψ γάρ ἐστι δρᾶμα Φιλοξένου τοῦ ποιητοῦ, ἐν ᾧ ὁ Ὀδυσσεὺς περισχεθεὶς τῷ Κύκλωπος σπηλαίῳ λέγει· οἵῳ με κτλ.* cf. Diogen. VII, 19. Arsenius p. 379. Apostol. XIV, 24. Grotius, qui hunc versum in excerpt. p. 866. laudat, ut trimetrum iambicum acatalecticum redderet, emendavit *συγκαθείρξατο*, quam emendationem recepit Gataker Adv. Misc. posth. p. 522. Fiorillo autem (animadv. crit. in Athen. p. I. p. 85.) librorum lectionem de-

fendit, et ante eum Valkenarius Grotii coniecturam eo nomine reiecit, quod eam linguae graecae usus non ferret. Ceterum Valkenarius versum non Philoxeni, sed Euripidis dixit; verba autem eius ad Eurip. Hippol. v. 1389. p. 314. haec leguntur: „Versus fertur ex Euripidis Andromeda:

οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκατῴκισεν.

Quod ibi vulgatur συγκατεῖρξεν alteri forsan adscriptum fuerat, ut interpretamentum. — συγκαθείρξατο Graecis, quibus nostra debemus monumenta, non opinor in usu fuisse, qua in re saepe peccant correctores." Casaubonus vero ad Athen. III. p. 203. ex Euripidis Andromeda versum laudat hunc:

οἵῳ μ' ὁ δαίμων θηρίῳ ξυνῴκισεν,

quem sub Euripidis nomine etiam Gatak. Adv. Critic. p. 522. Barnes. add. ad Eurip. fragm. Valken. ad Eurip. Hippol. 1389. Beck, add. ad Musgrav. Fr. laudant. Sed nemo, quo auctore usus versum Euripidi tribueret, enuntiavit, nec ii, a quibus Euripidis poematum fragmenta collecta sunt, eum receperunt. Causam igitur non videmus idoneam, de qua versum illum malimus Euripidi, quam Philoxeno tribuere; immo Zenobii verbis freti versum habemus Philoxeni, quo Ulysses in spelunca Cyclopis inclusus terrorem suum expressit, et qui deinde, ut alii eiusdem poetae, proverbii loco usurpatus est.

V.

– ́ – – – ́ – ⏑

Εὐρείτας οἶνος πάμφωνος.

Legitur inter vini laudationes aliorum poetarum hic quoque Philoxeni versus, vinum grandisonis et graviter incedentibus epithetis laudans, apud Athenaeum lib. II. p. 35. Fortasse ex eodem illo Cyclope Philoxeni sumptus est. Miram eius explicationem protulit Casaubonus, quum dicat epithetis istis vinum notatum esse magna copia in corpus admissum. Πάμφωνος de vino in poculum infuso similiter dictum est, ac Pindarus Ol. VII, 1. dixit: φιάλαν ἀμπέλου καχλάζοισαν δρόσῳ.

VI.

– ◡ – – ◡◡ ◡ – – – ◡ – ⏓

Συμβαλοῦμαί τι μέλος ὑμῖν εἰς ἔρωτα.

Hunc versum Athenaeus XV, p. 692. d. his verbis laudat: *Ἐπεὶ δ' ἐνταῦθα τοῦ λόγου ἐσμέν, συμβαλοῦμαί τι μέλος ὑμῖν εἰς ἔρωτα· κατὰ τὸν Κυθήριον ποιητήν.* cf. VI. p. 371. b. Proverb. Append. IV, 77. p. 453. ed. Schneidew. Quod Bergkius l. l. p. 857. statuit, hunc versum exordium Cyclopis fuisse, mihi quidem minus probabile videtur.

VII.

Ἄπαγέ με εἰς τὰς λατομίας.

His verbis Suidas s. v. nos certiores facit Philoxenum, a Dionysio e lautumiis revocatum, atque ab hoc iterum, ut de carmine suo iudicium ferret, rogatum tyranni satellitem provocasse, ut se in lautumias reduceret. Deinde vulgo dicta esse, si qui nollent indignum ferre. Apud Mich. Apostolicum non nisi vocabula *εἰς τὰς λατομίας* leguntur, quae primum Philoxenus coram Dionysio elocutus sit, deinde autem usus proverbialis receperit.

VIII.

Μεσαύχενες. Hesychius s. v. *Ἀριστοφάνης φησί, μεσαύχενας νέκυας ἀσώτους. διὰ τοῦ μ γραπτέον, μεσαύχενες, ὅτι μέσον αὐχένα αὐτοῦ πιέζει* [5])... *παρεβάλλοντο τὸ σχοινίον. παρῳδεῖ δὲ τὰ ἐν τῷ Φιλοξένου Σύρῳ. ἐνίοις δὲ διὰ τοῦ δ γράφεται, δεσαύχενες, καὶ οὐ καλῶς.*

Colligimus ex his Philoxenum in carmine Syro inscripto vocabulum *μεσαύχενες* usurpasse, quo suspensos notaret, Aristophanem autem hoc vocabulo usum esse, quo Philoxeni dictionem figuratam risui daret.

---

[5]) ante *παρεβάλλοντο* deest aliquid.

IX.

Δορυφόνον. τὸν δολοφονοῦντα. Ἀριστοφάνης Δαιδάλῳ. ὅτι δὲ Φιλόξενος [6]) τῇ λέξει ἐχρήσατο, πρῶτος δηλοῖ Τηλεκλείδης ἐν Πρυτανεῦσι. δηλοῖ δὲ τὸν δολοφονοῦντα. Hesych.

X.

Ὑγρᾶν Νεφελᾶν *στρεπταιγλᾶν* δάϊον ὁρμάν. Verba haec sunt Aristophanis in Nubibus v. 334., ad quae scholiastes haec annotavit: Τὴν ἔμπροσθεν οὖσαν τῆς αἴγλης τοῦ ἡλίου καὶ σκοτίζουσαν· νεφέλης γὰρ ἐπιτεθείσης τῷ ἡλίῳ, οὐκέτι τὰς ἀκτῖνας εἰς τὴν γῆν ἀφίησι. ταῦτα δὲ εἰς Φιλόξενον τὸν διθυραμβοποιόν· τὸ γὰρ στρεπταίγλαν οὗτος εἶπεν. ἐπεὶ οὖν συνθέτοις καὶ πολυπλόκοις οἱ διθυραμβοποιοὶ χρῶνται λέξεσιν, κατὰ τὸν τῶν ἐκείνων ζῆλον καὶ αὐτὸς τοιαύταις χρῆται. χρῆται δ' οὖν ἄντικρυς τῷ ἐξεστραμμένῳ. cf. Suidas s. v., qui postrema sic habet: δηλοῖ οὖν ἄντικρυς διὰ τὸ ἐξεστραμμένον τὴν ἀηδίαν τούτων τῶν ἐν τοῖς συνθέτοις.

Verum non solum propter usum vocabulorum compositorum Aristophanes illis Philoxenum et alios dithyrambicos notavit, sed etiam propterea, quod in tempestatibus similibusque rebus describendis nimis occupati sint. Si verum est, quod scholiastes dicit, Aristophanem στρεπτ. ut Philoxeni vocabulum perstrinxisse, non nisi ita potuit fecisse, ut in secunda Nubium editione versum illum fingeret. Nam, quum primum Nubes edebantur, ol. LXXXIX, 1. Philoxenus demum undecim annos natus erat.

XI.

Hugo Grotius in excerpt. ex trag. et com. gr. p. 866. iis versibus, qui e Philoxeni Cyclope servati sint, hunc quoque annumerat:

Ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ.

---

[6]) Φιλόξενος coniecit Hemsterhusius, admodum probabiliter; libri habent Φιλόκτητος. Habemus δορυφόνον simile Philoxeni vocabulum supra allato, quod Aristophanes similiter carpsit.

Sed quum non addiderit, quo auctore eum Philoxeno tribuerit, nobis respicienda est Suidae auctoritas, vel potius Chamaeleontis: legimus enim haec apud Suidam s. v. *ἀπώλεσας τὸν οἶνον* praeter ipsum illum versum: *αὕτη δὲ ἡ παροιμία γέγονεν ἐκ τοῦ Ἀριστίου Κύκλωπος, ὥς φησι Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Σατύρων.*

XII.

Epigrammata.

Τληπόλεμος ὁ Μυρεὺς Ἑρμᾶν ἀφετήριον ἕρμα
ἱροδρόμοις θῆκεν, παῖς ὁ Πολυκράτεω,
δὶς δέκ᾽ ἀπὸ σταδίων ἐναγώνιον· ἀλλὰ πονεῖτε,
μαλθακὸν ἐκ γονάτων ὄκνον ἀπωσάμενοι.

Hoc epigramma legitur apud Fr. Iacobs. in Anthologia Graeca II. p. 58. Ubi quum simpliciter inscribatur *Φιλοξένου*, dubium est, num Cytherius an alius Philoxenus fecerit; sed hoc ipsum, quod cognomine nullo addito poeta simpliciter Philoxenus nominatus est, nos commovit, ut nullum potius carminis scriptorem haberemus, quam Cytherium Philoxenum, celeberrimum dithyrambographum, nec dubitaremus eius reliquiis hoc quoque epigramma subiungere. Indicat hoc epigramma, Mercurii statuae inscriptum, Tlepolemum quendam in stadii carceribus Mercurii signum posuisse, quod esset regulae fulcrum.

Ἕρμα quum sit quod alicui rei fulcro est, *ἀφετήριον ἕρμα* est fulcrum regulae i. e. eius funis, quo demisso certantes cursum incipiebant. Usitatus autem Graecis hic mos fuit, e quo Mercurii statuae ad stadii carceres positae illud regulae tenendae munus tribuebant. cf. *O. Müller, Archäologie der Kunst* §. 380. *Anm.* 1. *p.* 561. Iam quum sic verba bonum sensum praebeant, haud scio, an nemo Dorvillium probaverit, qui pro *ἕρμα* coniecit *Ἑρμᾷ*, elegantiorem arbitratus locum effici, si *Ἑρμᾷ* ipsum deum, praecedens *Ἑρμᾶν* Mercurii statuam notaret, sensusque hic esset: Tlepolemus Mercurio Mercurium i. e. ipsius statuam posuit. — *ἱροδρόμ.* sunt stadiodromi,

cursu certantes, quos ita dici neminem potest offendere, qui certamina illa cum deorum cultu arctissimo vinculo coniuncta esse reputaverit. — ἐναγών. pertinet ad Ἑρμᾶν; eleganter et poetice hoc solemne Mercurii epitheton eius statuae ad stadii carceres positae tributum est. — Vocabula δὶς δέκ' ἀπὸ σταδίων Iacobsius non sine dubitatione ita explicuit, ut στάδιον pro νίκη ἐν σταδίῳ dictum statueret; quam explicationem, si vocabula eorumque usum respicimus, non dubitamus amplecti: eodem enim sensu Pindarus voce σταδ. usus est, Nem. VIII, 16. Δείνιος δισσῶν σταδίων καὶ πατρὸς Μέγα Νεμεαῖον ἄγαλμα.

Ceterum Tlepolemum, quem epigramma notat Polycratis filium, Myra ortum, Salmasius probabiliter suspicatus est eundem esse, quem Pausanias V, 3. p. 395. Lycium nominet: Myra est enim Lyciae oppidum. Ceterum Reiskium secutus Πολυκρίτεω, quod in libris legitur, mutavi in Πολυκράτεω. Etenim nomen Πολυκρίτης nullo et ne eo quidem, quem Iacobsius advocavit, loco (Polyb. IX, 34, 10.) legitur, sed hic ut alias invenitur Πολύκριτος.

XIII.

Αὐτοὶ γὰρ διὰ Παρνασσοῦ . . . .
χρυσορόφων Νυμφέων εἴσω ἴσαν θαλάμων.

Antigon. Hist. mirab. 127. Οἱ Δελφοὶ δὲ λέγουσιν, ὅτι ἐν τῷ Παρνασσῷ κατά τινας χρόνους τὸ Κωρύκιον φαίνεσθαι χρυσοειδές. Διὸ καὶ τὸν Φιλόξενον οὐδεὶς ἂν εἰκαιολαλεῖν εἴποι λέγονθ' οὕτως· αὐτοὶ κτλ. Secundum versum huius mutilati epigrammatis Bergkius ita restituit, ut ἴσαν adiiceret.

Praeterea viri docti Philoxeno Cytherio carmen tribuere solent, quod δεῖπνον inscribitur et ab Athenaeo pluribus locis laudatur. A quo quum aliis locis alii versus proferantur, totius carminis plerique omnes [7]) videntur servati esse. Singulis autem fragmentis suo ordine coniunctis carmen ita habet: Primum [8]) convivii initium describi-

---

[7]) Pauca tantum desiderantur initio, inter singula fragmenta, extrema carminis parte.

[8]) Athen. XV. p. 685. D.

tur ita, ut convivae manus lavisse et coronis myrteis se cinxisse dicantur; deinde [3]) quae mensis illatis epulae impositae sint singulae enumerantur: magna vis piscium maritimorum, delicatissimae suis coctae partes, caro cocta et tosta hoedorum, agnorum, leporum, pullorum, perdicum, columbarum, casei, mel cum lacte crasso. Tum [4]) quomodo cibi et potus desiderio sedato mensae remotae, manus iterum lautae, recentes coronae sumptae sint narratur. Post [5]) convivium quomodo alteris mensis illatis continuatum sit additur, laudanturque cupediae appositae: tostae fruges, placentae varii generis, ova, amygdalides nuces, et quae cum his coniuncta fuerint, potus, cottabus, iocosa colloquia. Tum [6]) metaniptridis fit mentio, qua convivae delectati sint. Postremo [7]) legitur, quomodo vinum egregium, nectari simile, biberint bibendoque indulserint. Iam praeter hoc carminis argumentum dialectus quoque, qua scriptum est, doria et metrum e trimetris dactylicis compositum cognosci licet, quamvis singula multa vel obscura vel tam depravata sint, ut plerique de iis sanandis desperaverint et ne Bergkii quidem acumen, cui plurima cesserunt, expedire potuerit omnia. De indole carminis si quaerimus, artem quidem invenimus quandam multorum verborum enumeratorum versibusque coniunctorum, sed quum in nominibus ciborum paene totum occupatum sit, et quae praeterea leguntur plane ieiuna sint ac languida, nusquam apparent facetiae et omnino ingenium, quo poetae vel tritas et humiles res ita commendare solent, ut nos moveant atque oblectent. Quae quum ita sint, miramur quod Philoxenus, poeta ingeniosus facetiisque plenus, tale carmen fecerit, et scire cupimus, quibus de causis hic potissimum eius scriptor dicatur. Circumspicientibus autem nobis omnium, qui Philoxenum commemorant, unus Athenaeus occurrit, qui carmen illud ei tribuat, et ita quidem, ut quo loco

---

[3]) IV. p. 146. F.
[4]) IX. p. 409. E.
[5]) XIV. p. 643. A.
[6]) XI. p. 487. A.
[7]) XI. p. 476. E.

primum laudat ipse dubitet, utrum Cytherium an potius Leucadium Philoxenum eius auctorem habeat, atque ad Platonem comicum provocans eum haberi velit, quem hic in Phaone carpserit [8]). Itaque in hac re diiudicanda nulla est Athenaei auctoritas, nec magni ducimus quod reliquis locis a Philoxeno Cytherio diserte dicit carmen factum esse. In Platone igitur quum omne momentum positum, Phaon autem eius deperditus sit, eo quo muniti genuinum carmini scriptorem vindicemus praesidio destituti sumus. Nihilominus res aliquo modo diiudicari poterit. Etenim ubi rursus ad Athenaeum refugerimus, locum invenimus opportunissimum, quo quum multos qui de re cibaria carmina pepigerint enumerat, non Cytherium, sed Leucadium Philoxenum nominat, quin ex ipso Platonis Phaone versus aliquot exhibet, quibus carmen istius notatur eiusque fragmentum proponitur [9]). Primo quidem obtutu intelligimus hoc non pertinere ad illud de quo agitur *δεῖπνον*: neque enim versibus et dialecto lyricis, sed epicis carmen compositum erat, neque splendidum convivium celebrabat, sed quomodo cibi parandi et quo ordine apponendi essent docebat, neque *δεῖπνον* appellatur, sed *ὀψαρτυσία*. Attamen compertum habemus primum Philoxenum Leucadium rei cibariae poetam exstitisse, deinde propterea eum a Platone perstrictum esse. Atqui nihil potest verisimilius esse, quam eandem rem eum duobus carminibus, altero epico, altero lyrico [10]), celebrasse, atque utrumque a Platone notatum esse. Accedit quod idem Athenaeus paulo post [11]), ubi nonnulla de Philoxeno Eryxidis filio, quem eundem agnovimus Leucadium, narravit, eius *δεῖπνον* commemorat. Ergo *δεῖπνον* illud, quod etiam ita compa-

---

8) Dicit haec: *Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ, εἴπερ τούτου καὶ ὁ κωμῳδιοποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη, καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου, τοιαύτην ἐκτίθεται παρασκευὴν δείπνου.*

9) I. p. 5. B.

10) Hoc neminem offendere potest, qui poetas lyricos et vel dithyrambicos reputaverit interdum, ut in epigrammatis, metro et sermone epico usos esse.

11) I, 6. A.

ratum est, ut non a melioris notae poeta fictum censeas, sed ab homine, cuius Musa nihil altius ac nobilius amplecti potuerit, quam convivium omnibus numeris absolutum, non dubitamus Philoxeno Leucadio adiudicare, isti lurconi [12]), qui quantum studium rei cibariae impenderit vel inde apparet, quod novo generi placentarum nomen dedit, et a quo sine dubio haec quoque verba profecta sunt:

τὰ τῶν κρεῶν μὴ κρέα ἥδιστά ἐστι καὶ τῶν ἰχθύων
οἱ μὴ ἰχθύες. [13])

Sed quo facilius res sub censum vocari possit, utriusque carminis quae supersunt apponam.

I.

Athen. I, 5. *Τοῦ Φιλοξένου δὲ τοῦ Λευκαδίου Δεῖπνου Πλάτων ὁ κωμῳδιοποιὸς μέμνηται ἐν τῷ Φάωνι·*

Ἐγὼ δ' ἐνθάδ' ἐν τῇ 'ρημίᾳ
τουτὶ διελθεῖν βούλομαι τὸ βιβλίον
πρὸς ἐμαυτόν. Β. Ἔστι δ', ἀντιβολῶ σε, τοῦτο τί;
Α. Φιλοξένου καινή τις ὀψαρτυσία.
Β. Ἐπίδειξον αὐτὴν ἥτις ἐστίν. Α. Ἄκουε δή.
Ἄρξομαι ἐκ βολβοῖο, τελευτήσω δ' ἐπὶ θύννον.
Β. Ἐπὶ θύννον; οὐκοῦν τῆς τελευταίας πολὺ
κράτιστον ἐνταυθὶ τετάχθαι τάξεως;
Α. Βολβοὺς μὲν σποδιᾷ δαμάσας, καταχύσματι δεύσας
ὡς πλείστους διάτρωγε· τὸ γὰρ δέμας ἀνέρος ὀρθοῖ.
Καὶ τάδε μὲν δὴ ταῦτα· θαλάσσης δ' ἐς τέκν' ἄνειμι.
Εἶτα μετὰ μικρόν·
Οὐδὲ λοπὰς κακόν ἐστιν. ἀτὰρ τὸ τάγηνον ἄμεινον
οἶμαι.
Καὶ μετ' ὀλίγα·
Ὀρφών, αἰολίαν συνόδοντά τε καρχαρίαν τε
μὴ τέμνειν, μή σοι νέμεσις θεόθεν καταπνεύσῃ,
ἀλλ' ὅλον ὀπτήσας παράθες· πολλὸν γὰρ ἄμεινον.

---

[12]) v. supra p. 31.
[13]) Plut. de aud. poet. initio.

Πουλύποδος πλεκτὴ δ' ἄν, ἐπεὶ λήψῃ κατὰ καιρόν,
ἐφθὴ τῆς ὀπτῆς, ἢν ᾖ μείζων, πολὺ κρείττων.
ἢν ὀπταὶ δὲ δύ' ὦσ', ἐφθῇ κλαίειν ἀγορεύω.
Τρίγλη δ' οὐκ ἐθέλει νεύρων ἐπιήρανος εἶναι·
παρθένου Ἀρτέμιδος γὰρ ἔφυ καὶ στύματα μισεῖ.
Σκορπίος αὖ — B. παίσειέ γέ σου τὸν πρωκτὸν ὑπελθών.

II. [1]) fr. 1. [2])

. . . . Κατὰ χειρὸς δ'
ἤλυθ' ὕδωρ· ἁπαλὸς παιδίσκος ἐν ἀργυρέᾳ φέρων
προχόῳ ἐπέχευεν·
εἶτ' ἔφερε στέφανον λεπτᾶς ἀπὸ μυρτίδος εὐγνάμπτῳ
κλαδεῶνι συναπτόν.

2. [3])

Εἰς δ' ἔφερον διπλόοι παῖδες λιπαρῶπα τράπεζαν
ἄμμ', ἑτέροι δ' ἑτέραν, ἄλλοι δ' ἑτέραν, μέχρι οὗ πλή-
ρωσαν οἶκον,
ταὶ δὲ πρὸς ὑψιλύχνους ἔστιλβον αὐγὰς
εὐστεφάνοις λακάναις παροψίσι τ' ὀξυβάφων πλήρεις
μάλα, σύν τε χλιδῶσαι
παντοδαποῖσι τέχνας εὑρήμασι πρὸς βιοτάν, ψυχᾶς
δελεασματίοισιν.
***πάρφερον ἐν κανέοις μάζας χιονόχροας, ἄλλοι δ'**

---

[1]) Totum hoc carmen ut Bergkius recensuit multis coniecturis ipsius, Grotefendi, Meinekii, Casauboni, Schweighaeuseri, Dindorfii emendatum adscripsi.

[2]) Athenaeus XV. p. 685. D.: Φιλόξενος δ' ὁ διθυραμβοποιὸς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ ἀρχὴν ποιεῖται τὸν στέφανον τῆς εὐωχίας οὑτωσὶ λέγων· Κατὰ χειρὸς κτλ.

[3]) Athen. IV. p. 146: Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ, εἴπερ τούτου καὶ ὁ κωμῳδιοποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη, καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου, τοιαύτην ἐκτίθεται παρασκευὴν δείπνου· Εἰς δ' ἔφερον κτλ.

τοῖς δ' ἔπι πρῶτα παρῆλθ' οὐ κάκκαβος, ὦ Φιλότας,
ἀλλ' ἀλλοπλατεῖς τὸ μέγιστον·
πανταχόθεν λιπαρῶπες, ἐγχέλεά τινες ἄριστον,
γογγροιτοιωνητεμων πλῆρες θεοτερπές· ἐπ' αὐτῷ δ'
ἄλλο παρῆλθε τόσον, βατὶς δ' ἐνέης ἰσόκυκλος.
μικρὰ δὲ κακκάβι' ἧς, ἔχοντα τὸ μὲν γαλεοῦ τι
ἄρκιον, ἄλλο*****
*παρῆς ἕτερ' ὀμπνίων ἀπὸ τευθιάδων καὶ
σηπιοπουλυποδείων τῶν ἁπαλοπλοκάμων· θερμὸς μετὰ
ταῦτα παρῆλθεν
ἰσοτράπεζος ὅλος νῆστις συνόδων
πυῤῥός, ἔπειτ' ὄνος ἀτμίζων· ἐπὶ τῷ δ' ἐπίπασται
τευθίδες, ὦ φίλε, καὶ ξανθαὶ μέλι καρίδες αἱ κυφαὶ
παρῆλθον.
θρυμματίδες δ' ἐπὶ ταύταις εὐπέταλοι χλοεραί τε δὴ
φάρυγγες
πυρίων τε στεγναὶ βύσται μέγαθος κακὰ κακκάβου
γλυκυου ὄξιος**
ὀμφαλὸς θοίνας καλεῖται πάρ γ' ἐμὶν καὶ τίν, σάφ' οἶδα.
ἔστι δὲ ναὶ μὰ θεοὺς ὑπερμέγεθες τίθεμος θυγμοῦ
μόλεν ὀπτὸν ἐκεῖθεν
θερμόν, ὅθεν γλυφὶς τέτμενον εὐθὺς ἐπ' αὐτὰς
τὰς ὑπογαστρίδας, διανεκέως ἐπάμυνε
**π' ἐμίν τε μέλοι καὶ τίν, μάλα κεν κεχαροίμεθ'.
ἀλλ' ὅθεν ἐλλίπομεν, θοίνα παρέης, ὅτ' ἐπαλλάξαι δύνατ'
ἐπικρατέως· ἔγωγ' ἔτι, κοῦ κε λέγοι τις.
πάντα παρῆς ἐτύμως ἄμμιν· παρέπαισε δὲ θερμὸν
σπλάγχνον, ἔπειτα δὲ νῆστις δέλφακος οἰκετικᾶς καὶ
νῶτος ἐσῆλθε καὶ ὀσφὺς καὶ μινυρίγματα θερμά.
καὶ κεφάλαιον ὅλον διάπτυχες ἑφθὸν ἄτερ πευθῆνος
ἀλεκτοτρόφου πνικτᾶς ἐρίφου παρέθηκεν·

εἶτα δίεφθ᾽ ἀκροκώλια, σχελίδας τε μετ᾽ αὐτῶν
λευκοφορινοχρόους, ῥύγχη, κεφάλαια, πόδας τε, χναυ-
μάτιόν τε σεσιλφιωμένον.
ἑφθά τ᾽ ἔπειτα κρέ᾽ ὀπτά τ᾽ ἄλλ᾽ ἐρίφων τε καὶ ἀρνῶν·
ἅ θ᾽ ὑπέρω μάκαρος χορδὰ γλυκίστα,
μιξεριφαρνογενής, ἂν δὴ φιλέοντι θεοί· ταῦτ᾽,
ὦ φιλότας, φιλίως ἔσθοις κε· λαγῷα δ᾽ ἔπειτ᾽ ἀλεκτρυό-
νων τε νεοσσοί,
περδίκων φασσέων τε χύδαν· ἤδη δὲ παρεβάλλετο θερμὰ
πολλὰ
καὶ μαλοκοπτυχέων ἄρτων· ὁμοσύζυγα δὲ ξανθόν τ᾽
ἐπεισῆλθεν μέλι καὶ γάλα σύμπακτον, τό κε
τυρὸν ἅπας τις
ἧμεν ἔφασχ᾽ ἁπαλόν, κἠγὼν ἐφάμαν. ὅτε δ᾽ ἤδη
βρωτύος ἠδὲ ποτᾶτος ἐς κόρον ἧμεν ἑταῖροι,
τῆνα μὲν ἐξαπάειρον δμῶες, ἔπειτα 4) δὲ παῖδες νίπτρ᾽
ἔδοσαν κατὰ χειρῶν,
σμήμασιν ἰρινομίκτοις χλιεροθαλπὲς ὕδωρ ἐπεγχέοντες
τόσσον, ὅσον τις ἔχρῃζ᾽, ἐκτρίμματά τε ** λαμπρὰ
σινδονυφῆ, δίδοσαν δὲ χρίματά τ᾽ ἀμβροσίοδμα καὶ στε-
φάνους ἰοθαλέας.

3. 5)

Τὰς δὲ δὴ πρόσθεν μολούσας** λιπαραυγεῖς,
πορθμίδας πολλῶν ἀγαθῶν πάλιν εἴσφερον γεμούσας,
τὰς ἐφήμεροι καλεῦντι νῦν τραπέζας δευτέρας,

---

4) Athen. IX. p. 409. E.: *Καὶ Φιλόξενος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ φησίν· Ἔπειτα δὲ παῖδες κτλ.*

5) Athen. XIV. p. 643: *Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ Κυθήριος Φιλόξενος ἐν τῷ Δείπνῳ δευτέρων τραπεζῶν μνημονεύων πολλὰ καὶ τῶν ἡμῖν παρακειμένων ὠνόμασε, φέρε καὶ τούτων ἀπομνημονεύσωμεν· Τὰς δὲ κτλ.*

ἀθάνατοι δέ τ' Ἀμαλθείας κέρας.
ταῖσιν δ' ἐν μέσαις καθιδρύθη μέγα χάρμα βροτοῖς, λευ-
κὸς μυελὸς γλυκερός, λεπτοῖς ἀράχνας ἐνα-
λιγκίοισι πέπλοις
συγκαλύπτων ὄψιν αἰσχύνας ὕπο, μὴ κατίδῃ τις
μαλογενὲς πῶϋ λιπόνθ' ὑπ' ἀνάγκας
ξηρὸν ἐν ξηροῖς Ἀρισταίου πολυῤῥύτρισι παγαῖς.
τῷ δ' ὄνομ' ἦς ἄμυλος· χερσὶν δ' ἐπίθεντο στόμιον μαλε-
ραῖς τὰν
δεξαμένην ὅ τι κα διδῷ τις· ἃ Ζανὸς καλεῦντι
τρώγματ'· ἔπειτ' ἐπένειμεν ἐγκατακνακομιγὲς πεφρυ-
γμένον
πυρβρομολευκερέβινθον ἀκανθουμικριτο ἀδύ,
βρῶμα τὸ παγκατάμικτον ἀμπυρικηροιδηστίχας, παρε-
γίνετο τούτοις
σταιτινοκογχομαγὴς ὅ τε σεσελειοξανθεπιπαγκαπύρωτος
χοιρίνας·
ἀδέα δὲ ** κύκλωθ' ὁμόφωκτ' ἀνάριθμα,
καὶ μελίπηκτα τετυγμέν' ἄφθονα σασαμόφωκτα·
τυρακίνας δὲ γάλακτι καὶ μέλι συγκατάφυρτος
ἦς ἄμυλος πλατανίτας, σασαμορυτοπαγῆ δὲ
καὶ σεσελειοπαγῆ πλατύνετο σασαμόπαστα
πέμματα, κἄτ' ἐρέβινθοι κνακοσυμμιγεῖς καλαῖς θάλλον-
τες ὥραις.
ὠά τ' ἀμυγδαλίδες τε τῶν μαλακοφλοΐων... τε τρωκτά τε
παισὶν
ἀδυΐδη κάρυ', ἄλλα τ' ὅσσα πρέπει παρὰ θοίναν
ὀλβιόπλουτον ἔμεν· πόσις τ' ἐπεραίνετο κότταβοί τε λόγοι
τ' ἐπὶ κοινᾶς·
ἔνθα τι καινὸν ἐλέχθη κομψὸν ἀθυρμάτιον καὶ
θαύμασαν αὖτ' ἐπί τ' ᾔνησαν. **

4. [6])

* * Σὺ δὲ τάνδε Βακχίου
εὔδροσον πλήρη μετανιπτρίδα δέξαι.
πραΰ τί τοι Βρόμιος γάνος τόδε δοὺς ἐπὶ τέρψιν
πάντας ἄγει. * *

5. [7])

Πίνετο νεκτάρεον πῶμ' ἐν χρυσέαις προτομαῖς καλῶν κεράτων· ἐβρέχοντο δ' αὖ κατὰ μικρόν...

---

[6]) Athen. XI. p. 487. A.: Φιλόξενος δὲ ὁ διθυραμβοποιὸς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ μετὰ τὸ ἀπονίψασθαι τὰς χεῖρας προπίνων τινί φησι· Σὺ δὲ κτλ.

[7]) Athen. XI. p. 476. E.: Καὶ Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ φησίν· Ἐπίνετο κτλ.

B. Timotheus.

I. De vita Timothei.

Timotheus, poeta dithyrambicus, natus est Mileti[1]) anno CCCCXLVII. a. Chr. n., ol. LXXXIII, 2., mortuus a. CCCLVII.; ol. CV, 4. in Macedonia[2]). Hanc fuisse Timothei aetatem docemur verbis marmoris Parii, quibus relatum est a. CCCLVII. eum ad vitae annum nonagesimum progressum mortem obiisse[3]). Paulum discrepans Suidas ad annum nonagesimum septimum refert Timotheum vitam duxisse. Sed ut hoc, quod Suidas affert, minoris faciamus, quam quod in marmore Pario invenitur, quum illud facit, quod in numeris referendis Suidas saepius negligentior repertus est[4]), tum hoc, quod de Timotheo disputans parum accurate et expedite agit, sed ita, ut duos diversos Timotheos, dithyrambicum et tibicinem, aperte commisceat, atque de patre poetae mentionem faciens plura nomina enumeret, Thersandri, Neomysi,

---

[1]) Pherecrates comic. ap. Plut. de mus. 30. p. 1141. F. Diod. Sic. XIV. p. 273. c. 46. Steph. Byz. *Μίλητος*. Ath. III, 122. B. Suidas *Τιμόθεος*.

[2]) Steph. Byz. l. l.

[3]) ep. 77. p. 21. *Ἀφ' οὗ Τιμόθεος, βιώσας ἔτη 𐅄ΔΔΔΔ ἐτελεύτησεν . . . . ἔτη 𐅄ΔΔΔΔΙΙΙ, Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀγαθοκλέους*.

[4]) cf. Burette mem. de l'ac. des inscr. XIV. p. 368. X. p. 235 ed. Par. Ulrici l. l. p. 605.

Philopolidis, quorum quod potissimum ei tribuendum sit, ipse haereat. Iam vero quod Timotheum narrat Alexandri Magni animum tibiae lusu mirabiliter affecisse, quivis, modo tempus respexerit, videt non ad Timotheum Milesium quadrare, sed ad eum referendum esse, quem Lucianus [5]) dicit Thebis ortum et quem tibicinis magnam gloriam nactum atque Alexandrum Magnum comitatum esse alii [6]) testantur. Illud tamen Suidas recte fecit, quod Atheniensem Timotheum, mediae comoediae poetam, a dithyrambico nostro distinxit.

Patrem poetae quum Alexander Aetolus [7]) Thersandrum nominet, hoc ei nomen, quod etiam Suidas primo loco posuit, vindicantes, reliquis istis aliorum Timotheorum patres usos esse putamus. Iam vero ipsa Timothei vita tenebris valde est obruta, nec nisi haec pauca nobis de ea narrare licet. Simili, qua Philoxenus [8]), usus fortuna servituti aliquando obnoxius fuit, si quidem hoc recte ex eo colligitur, quod a Pherecrate [9]) comico notatus est *Μιλήσιός τις Πυῤῥίας*. Sed si unquam Timotheus servitutem serviit, praeclara eius artis musicae et poesis colendae indoles nullum inde detrimentum cepisse, sed, quod vidimus Philoxeno accidisse, vel adiuta esse videtur. Nam patria relicta iuvenem narrant Athenis prodiisse, et ratione plane nova valdeque artificiosa citharam lusisse, ut vel ipsa ars multitudinis sibilum ei excitaverit, Euripidem autem moverit, ut explosum solatio erigeret, brevi theatra in eius ditionem redacta fore [10]). Huic deinde vaticinio respondit eventus. Sed antequam Timotheus magnam illam ac paene communem aequalium omnium ap-

---

5) Harmon. 10. Bip. vol. IV. p. 137.

6) Himer. ap. Phot. p. 1122. 1130. Dio Chrys. or. I. Quinctil. inst. or. 2, 3, 3. cf. Suid. s. v. Ἀλέξανδρος. ὀρθιασμάτων. Athen. XII. p. 538. F. XIII, 565, A.

7) ap. Macrob. Saturn. V, 22.

8) v. supra p. 22.

9) ap. Plut. de mus. l. l. Quod hic proposuimus nititur his Suidae verbis: Πυῤῥίαις· Δούλοις. Ὄνομα γὰρ δούλου Πυῤῥίας. p. 3186 ed. Gaisford.

10) Plut. an sit seni ger. resp. c. 23. p. 795. D.

probationem assecutus est, acerbius etiam, quam Athenienses, Lacedaemonii eius Musam aliquando acceperunt, qui adeo ea offendebantur, ut publica eam ignominia afficerent, citharamque Timothei, pluribus chordis privatam, in porticu prope forum sita suspenderent [11]). Singuli vero adversarii nunquam fere ei defuerunt, quorum unus Cinesias vel eo risui eum dare conatus est, quod hymnum in Dianam in theatro Atheniensi canentem intercepit, et deam μαινάδα, θυάδα, φοιβάδα, λυσσάδα (Iovis filiam) vocanti „talis tibi sit filia" acclamavit [12]). Sed huius infortunii Timotheus solatium haud exiguum habebat hoc, quod Ephesii, quibus scripserat, eundem illum hymnum mille aureorum praemio dignum censuerant [13]). Splendidissimum denique artis bene probatae testimonium ei hoc datum est, quod Archelaus, Macedoniae rex, eum in regiam suam arcessivit [14]). Hic ei contigit, ut nobilissimorum istius aetatis tragicorum, Euripidis et Agathonis, quos Archelaus iam ante apud se exceperat, consuetudine frueretur; et cum Euripide, qui iuvenem olim exsibilatum non parvi fecit, sed benigne adhortatus est, Timotheum arctiore quodam amicitiae vinculo coniunctum esse suspicari licet. Consentaneum huic est, quod Timotheum dicunt epigramma, inscriptum in cenotaphio Euripidi Athenis exstructo, fecisse [15]). Ceterum, num in Macedonia, etiam Archelao interfecto et turbis atrocissimis ibi concitatis, Timotheus remanserit, non constat; tamen relatum est diem eum supremum ibi obiisse [16]). Quod quum a.

---

[11]) Plut. Lacon. inst. c. 17. p. 238. Paus. III, 12, 10., quo loco refert se ipsum illam ibi suspensam vidisse, quatuor superfluas, chordas decisas habentem. Boethius de mus. I. 1. addit ipsum Timotheum ex urbe eiectum esse. Contra Artemo ap. Athen. XIV, 636. Timotheum dicit vel citharam incolumem servasse eo, quod ad citharam polychordam, quam Apollinis quaedam statua in manu tenuisset, provocaverit.

[12]) Plut. de aud. poet. 4. p. 22. A. de superst. 10. p. 170. A. B.

[13]) Macrob. Saturn. V, 22.

[14]) de fort. Alex. p. 334.

[15]) v. infra.

[16]) Steph. Byz. l. l.

CCCLVII. factum esse supra viderimus, apparet eum tribus demum annis post, quam Philippus Macedoniae regnum occupavisset, e vita decessisse. Tumulo Timothei teste Stephano Byzantio [17]) hoc epigramma inscriptum est:

Πάτρα Μίλητος τίκτει Μούσαισι ποθεινὸν
Τιμόθεον, κιθάρας δεξιὸν ἡνίοχον.

Mores Timothei Plutarchus duplici nota adspersit, offensus tam eius avaritia, quam illiberali sui laude. Quae ei reprehensionis ansam dederunt narrat haec: Timotheus ab Archelao rege in Macedoniam arcessitus, quum munerum largitionumque avidior esset, ut vel regalis ei liberalitas non sufficeret, parcimoniam illi hoc versu saepius repetito exprobravit: *σὺ δὴ τὸν γηγενέταν ἄργυρον αἰνεῖς.*" Sed rex satis facete impudenti musico respondit: *σὺ δέ γ' αἰτεῖς* [18]). Alterum opprobrium hinc ortum est, quod Timotheus aliquando victoriam suam de Phrynide in publico certamine deportatam his verbis praedicaverit: [19])

Μακάριος ἦσθα, Τιμόθεε, ὅτε κάρυξ εἶπε·
νικᾷ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος τὸν
Κάρβωνος, τὸν ἰωνοκάμπταν.

Ut paucis enuntiem, quid de his criminibus sentiam, primum, quod Plutarchus celeberrimum Graecorum musicum ob pecuniae cupidinem notavit, recte censeo factum esse. Sed verba illa iactantia non debuit tam moleste ferre: facile enim excusantur quum ex more antiquorum Graecorum, quo quod de se et de adversariis persuasum habebant libere eloquebantur, tum e temporum istorum ratione, qua nobiliores poetae et musici cum asseclarum turba acriter sibi adversabantur, et victores iactantes victoriam victis aemulis non parcere solebant [20]).

---

[17]) l. l.
[18]) Plut. de fort. Alex. p. 334.
[19]) de sui laude p. 539. c. 1.
[20]) cf. Athen. VIII, 352. B. Plut. de mus. c. 21.

II. De Timothei arte.

Carmina Timothei a Suida[1]) in universum nominantur XVIII dithyrambi, XXI hymni, ἐγκώμιον, singulorum autem enumerantur hi tituli: Ἄρτεμις, Πέρσαι ἢ Ναύπλιος, Φινεῖδαι, Λαέρτης, quibus accedunt Κύκλωψ ab Aristotele[2]), Athenaeo[3]), Eustathio[4]) laudatus, Νιόβη, Ὠδίν, Ναυτίλος, quorum Athenaeus[5]) mentionem facit, epigramma, quod Thomas Magister in vita Euripidis profert. Praeterea, quum modis musicis componendis praecipue excelleret[6]), eos quoque Suidas et Stephanus Byzantius[7]) commemorant; et ille quidem Timotheo δι' ἐπῶν νόμους μουσικοὺς XIX, προοίμια XXXVI, διασκευὰς VIII tribuit, hic νόμων κιθαρῳδικῶν βίβλους ὀκτωκαίδεκα εἰς ἐπῶν ὀκτακισχιλίων τὸν ἀριθμόν, καὶ προνόμια ἄλλων χίλια.

Carminum illorum omnium quum praeter pauca fragmenta nihil reliquum sit, et ne indicia quidem antiquorum scriptorum exstent, quibus accuratius de iis doceamur, poesim Timothei qualis fuerit vix coniectura assequi possumus. Sed hoc certe cognoscere licet, carmina quod numerum attinet plurima, quod argumentum et formam diversissima fuisse, omniumque duo genera distinguenda esse, alterum dithyrambicum ad Bacchi cultum pertinens,

---

1) s. v. Τιμόθεος.

2) de arte poet. c. 2.

3) XI, 465. E.

4) ad Od. 1631, 61.

5) VIII, 341. C. 352. A. 338. A.

6) Locupletissimum huius rei testem habemus Aristotelem, apud quem (metaphys. A. ἔλαττον. p. 993. B. 15—19.) haec legimus: εἰ μὲν γὰρ Τιμόθεος μὴ ἐγένετο, πολλὴν ἂν μελοποιίαν οὐκ εἴχομεν· εἰ δὲ μὴ Φρῦνις, Τιμόθεος οὐκ ἂν ἐγένετο.

7) s. v. Μίλητος.

alterum nomicum Apollinis cultui inserviens [8]). Utriusque autem generis ipsa carmina inter se, imprimis argumento, valde differebant. Primum enim si dithyrambos percensemus, alii ab ipso Baccho, alii argumentum aliunde sumptum habebant. Inter illos carmen referendum est, quod *'Ωδὶν* inscribebatur et Bacchi ortum celebrabat. Quo quum nullum antiquius esset dithyrambi argumentum, nihilominus aequales eo maxime offensi sunt, et Spartani quidem tam propter indecoram fabulae expositionem quam propter artificiosam frivolamque musicam [9]), Stratonicus autem, homo facetissimus et ipse poeta, propter Semelae parturientis eiulatum [10]). Apparet igitur dithyrambum istum non tam in efferendis Bacchi laudibus, quam in matris parturientis doloribus occupatum atque omnino ita comparatum fuisse, ut petulantem Atheniensium turbam moveret et delectaret, sed a verae artis specie prorsus abhorreret. Ceterum huius dithyrambi, qui illius generis etiam unicus est, cuius aliquam notitiam habemus, ne versus quidem remansit. Ex hac parte aliquantum melius nobis consultum est de iis dithyrambis, quorum argumentum a Baccho alienum erat. Contigit enim, ut horum ex uno certe, qui Cyclops inscribitur, aliquot fragmenta ad nos pervenirent; e quibus, quum primo verba Ulixis egregium vinum Cyclopi commendantis legantur, secundo huius minae adversus illum antro circumclusum efferantur, tertio Cyclops temulentia prostratus depingi videatur, colligimus id, quod etiam Aristotelis verba probant [11]), dithyrambum similem fuisse eius, quem Philo-

---

[8]) v. supra p. 14.

[9]) v. decretum Lacedaemoniorum apud Boethium de mus. I, 1. a pluribus laudatum, postremo ab O. Müllero, Dorier v. II. p. 323.

[10]) Athenaeus VIII. p. 352. multa eius facete dicta exhibens hoc quoque prodit: *'Επακούσας δὲ τῆς 'Ωδῖνος τῆς Τιμοθέου, Εἰ δ' ἐργολάβον, ἔφη, ἔτικτε καὶ μὴ θεόν, ποίας ἂν ἠφίει φωνάς;* Praeterea hunc Stratonicum Phania teste narrat primum *πολυχορδίαν* asso fidium lusui intulisse et discipulos docuisse.

[11]) de arte poet. II.

xenus sub eodem nomine scripsit. Habemus igitur alterum exemplum dithyrambi dramatici et videmus Timotheum quoque hoc genus excoluisse.

Dithyrambis videntur etiam reliqua carmina, quorum tituli feruntur *Λαέρτης*, *Φινεΐδαι*, *Νιόβη*, *Ναυτίλος*, adscribenda esse. Sed quum praeter haec nomina vix quidquam inveniatur, quod ad ea cognoscenda faciat, certum omnino nihil de iis statui potest. Phinidas tamen facile suspicamur de lugubri fato filiorum Phinei egisse, quos ipse pater excaecavit [12]). De Nioba relatum est Charonem in eo carmine prodiisse atque ad traiiciendum Acherontem animas atrocius provocasse [13]). In *Ναυτίλῳ* denique nautae pericula videntur celebrata esse. Relatum est enim Timotheum in eo tempestatem depinxisse. Quod quam alienum fuerit a musica eius cithararum, etiamsi vel plurimas adhibuerit, per se patet et inde colligitur, quod simul ei derisor exstitit Dorion, homo facetiis non minus insignis quam Stratonicus, qui in olla ebulliente procellam ista Timothei maiorem vidisse gloriatus est [14]). Ceterum duplex videtur carminis titulus fuisse: *Ναύπλιος* vel *Ναυτίλος*. Nam quum id, quod apud Suidam legimus, *Πέρσαι ἢ Ναύπλιος*, prorsus non quadret, neque ullo modo intelligatur, quomodo idem carmen *Πέρσαι* et *Ναύπλιος* inscribi potuerit, res facile expeditur, si post vocabulum *Πέρσαι* statuimus *Ναυτίλος* excidisse. *Ναύπλιος* enim, Neptuni filius, celeberrimus nauta habebatur [15]). Itaque carmini illi ut reliquis plerisque argumentum mythicum fuisse, et non cuiusvis nautae, sed Nauplii fata eo cantata esse suspicamur. Quod si ita habuit, pari modo *Ναύπλιος* et *Ναυτίλος* inscribi potuit duplexque hic titulus minime offendit [16]).

---

12) Apollodor. biblioth. III, 15, 2.

13) Athen. VIII, 341.

14) Athen. VIII, 338.

15) Apollod. bibl. II, 1, 5. 7, 4. III, 2, 2.

16) Viri docti minus eo offensi, quod idem carmen *Πέρσαι* et *Ναύπλιος* inscribatur, quam quod apud Athenaeum et Eustathium *Ναυτίλος* legatur, dum Suidas *Ναύπλιος* habeat, alterum pro

Iam si de nomis quaerimus, iisdem impedimur difficultatibus: nam horum quoque non nisi manca fragmenta nobis servata sunt. Circumspicientibus autem primum occurrunt versus aliquot e paeane in ipsum Apollinem sumpti, quibus poeta deum laudat splendidis radiis coelum ferientem, malaque precatur hostibus immittenda [17]). Deinde huc referendi sunt nonnulli versus ex hymno in Dianam, quibus Timotheus eam facit per coelum vagantem [18]) et his nominibus vocat *μαινάδα, θυάδα, φοιβάδα, λυσσάδα* [19]), ut appareat furorem dithyrambicum etiam in hoc carmen translatum esse. Quod quum Dianae ingenio minus respondere videretur, accidit ut poeta publice derideretur. In theatro enim Atheniensi, dum carmen canens ista verba profert, Cinesias ei acclamavit: talis tibi fiat filia! [20]) Sed si hymnus ille Athenis editus idem fuit, quem Timotheus in Ephesiam Dianam scripsit [21]),

---

spurio ducentes mutandum esse censuerunt, et Casaubonus quidem, Fabricius, Schweighaeuserus *Ναύπλιος* praetulerunt, Küstero autem *Ναυτίλος* magis placuit. Contra Ulricius (l. l. p. 610.) recte duo carmina fuisse statuit, quorum alterum *Πέρσαι*, alterum *Ναυτίλος* appellatum sit, sed eo errat, quod nomine *Ναύπλιος* prorsus reiecto solum *Ναυτίλος* pro vero carminis titulo habet, et quod carmen ipsum non Timothei dithyrambici, sed comici fuisse arbitratur.

17) v. fragm. XI.

18) v. fragm. X.

19) v. fragm. IX.

20) v. supra p. 59.

21) Macrob. Saturn. V, 22. haec prodidit: Alexander Aetolus, poeta egregius, in libro qui inscribitur Musae refert, quanto studio populus Ephesius dedicato templo Dianae curaverit praemiis propositis, ut qui tunc erant poetae ingeniosissimi in deam carmina diversa componerent. In his versibus Opis non comes Dianae, sed Diana ipsa vocata est. Loquitur autem, ut dixi, de populo Ephesio:

Ἀλλ' ὅγε πευθόμενος πάγχυ Γραικοῖσι μελέσθαι
Τιμόθεον κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων,
υἱὸν Θερσάνδροιο, τὸν ἤνεσεν ἀνέρα σίγλων
χρυσείων ἱερὴν πάντοτε χιλιάδα
ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλήτειραν ὀϊστῶν.

Quibus quum doceamur Ephesios Timotheum rogasse, ut hy-

minus inepte epitheta ista ei tribuit[22]). Ceterum Suidas, quum carmen sub titulo Ἄρτεμις commemoret, de eodem hoc hymno videtur cogitasse. Praeterea nullum carmen illis simile exstat, quod percenseri possit; hymnorum tamen plerique haud dubie eiusdem generis erant.

Videamus igitur de iis nomis, quibus neque Apollinis neque aliorum deorum, sed hominum laudes celebrabantur. Eiusmodi unum certe carmen a pluribus scriptoribus commemoratur et diserte νόμος appellatur[23]). Inscribebatur autem Πέρσαι atque res Graecorum contra Persas praeclare gestas laudabat. Quod quomodo comparatum et quo consilio scriptum fuerit, quum tres tantum eius versus supersint, non perspicimus quidem, videmus tamen haec: Initio poeta libertatem se Graeciae celebraturum esse profitetur[24]); deinde, ubi egregia Graecorum facta enumeraverit, virtutes eorum laudat, fortitudinemque eorum Persarum opibus anteponit[25]): his adhortationes admiscens, ut pudorem colant, virtutis bellicae adiutorem, monet[26]). Quae quum ita sint, dignitate quadam rerum et sententiarum hoc carmen excelluisse et reliquis plerisque praestitisse videatur. Carmen autem non a choro, sed ab unico artifice edendum fuisse inde colligimus, quod postea Philopoemenis aetate Pylades citharoedus solus cecinisse dicitur[27]).

Dicendi genere Timotheus, quantum quidem e paucis fragmentis cognoscere licet, eodem fere quo Philoxenus usus est. Invenimus enim saepius verba audacter translata, multa grandisona epitheta, plura eleganter di-

---

mnum in Dianam faceret, praemiumque ei mille aureorum dedisse, illud offendit, quod dedicato deae templo hoc factum esse dicatur. Nam Timothei aetas neque cum prima eius dedicatione congruit, neque cum ea, qua templum anno CCCLVI. combustum et paulo post restitutum dedicabatur.

22) v. fragm. IX.

23) Pausan. III, 50. p. 701. Aristot. l. l.

24) v. fragm. VI.

25) v. fragm. VIII.

26) v. fragm. VII.

27) v. fragm. VI.

cta, plura etiam tumore laborantia. Inter dithyrambos autem et nomos num in hac re discrimen intercesserit, e parvo versuum servatorum numero diiudicari non potest. Sed discrimen fuisse ex eo coniicias, quod metrum iis diversum erat. Nam quum in universum hoc ita fictum esset, ut singuli versus ex ordinibus aut paribus aut similibus constarent, in dithyrambis maior varietas apparuit, quam in nomis. Hoc ita habere vel in paucis utrorumque versibus cernitur. Eorum enim, qui e Persis ad memoriam nostram pervenerunt, primus hexameter est dactylicus, versus antiquitus nomo tributus, secundus est creticus, tertius iambicus; ex hymno deinde in Dianam habemus versum dactylicum et duos paroemiacos; in versibus denique illis e paeane servatis maiorem quidem invenimus varietatem, sed per se hi quoque simplicissimi sunt nec nisi trochaicos ordines dactylicis coniunctos habent. Contra in iis, qui e Cyclope supersunt et qui in fragmento decimo (haud dubie est dithyrambi) leguntur, maior numeri varietas et impetus reperitur. Quorum quam velox fuerit rhythmi ductus, e nullo facilius intelligitur, quam ex hoc: *τεταμένον ὀρίγανα διὰ μυελοτρεφῆ*; omnium enim pedum syllabas longas, excepta ultima, solutas habet. Praeterea longam syllabam in hoc versu videmus pro brevi usurpatam esse[28]), qua licentia haud scio an dithyrambici saepius usi sint.

Quod denique musicam Timothei attinet, haec quaestio difficillima est et nostris temporibus vix solvenda. Neque enim perspicimus, quomodo quae Suidas et Stephanus Byzantius de modis eius musicis diverse referunt concilianda sint, neque quomodo ipsi comparati fuerint aliter quam coniectura assequi possumus. Attamen ex Suidae et Stephani verbis primum apparet eorum numerum fuisse maximum, deinde omnino duo genera distincta esse, quorum alterum ipsis carminibus vocumque cantibus adiungeretur, alterum iis praeluderetur[29]). Quas

[28]) v. fragm. III.

[29]) Haud dubie ad hoc genus, quod Suidas *προοίμια* nominat, Stephani verba: *καὶ προνόμια ἄλλων χίλια* (praeludia aliorum sc. modorum), pertinent. Sed quum numerus mille praelu-

Suidas commemorat *διασκευάς*, modi antiqui, sed a Timotheo retractati et mutati esse videantur. Sin de ipsa modorum compositione quaerimus, praeterquam quod vidimus res externas, ut tempestates, sonis quasi depictas habuisse, insignis fuit celerrimo rhythmi ductu [30]), diversis harmoniis et generibus in eodem carmine usurpatis, frequenti mollis chromatici generis usu [31]), artificiosissimis cantus flexionibus, quibus soni adeo soluti ac minuti coniungebantur, ut Pherecrates comicus eos formicis compararet [32]).

Iam quum Timotheus modorum non solum componendorum, sed etiam ludendorum gnarissimus fuerit et de instrumento eius musico nonnulla relata sint, de eo quoque paucis agamus.

---

diorum maior sit et probabilitatem excedere videatur, aut cum Salmasio legendum est: *ἄλλων εἰς χίλια ἔπη*, aut ex antecedentibus supplendum *ἔπη*, ita ut *χίλια* non ad *προνόμια* referatur, sed ad *ἔπη*. Hoc autem ipso vocabulo et Suidas et Stephanus non possunt non ita usi esse, ut omnino singulas rhythmi partes, ergo non solum hexametrum dactylicum, sed etiam alios versus significarent. Nam etsi Timotheus in modis componendis hexametrum usurpaverit (Plut. de mus. c. 4.), in paucis eum solum, in reliquis plerisque cum aliis metris mixtum adhibuit. Ceterum neque Suidam neque Stephanum non ad certum illud carminum genus, quod *νόμος* appellabatur, spectasse, sed omnino ad modos, quibus quaelibet carmina canerentur, utriusque verba diserte indicant. Ille enim ad vocabulum *νόμους* addidit *μουσικούς*, hic ad *νόμων* adiecit *κιθαρῳδικῶν*.

30) v. supra p. 66. cf. Plut. de mus. c. 4.

31) Hephaest. Gaisford. p. 437. Decretum Lacedaemoniorum v. not. 38. Boeckh. de metr. Pind. p. 250.

32) Plut. de musica c. 30:

Ὁ δὲ Τιμόθεός μ', ὦ φιλτάτη, κατορώρυχε
καὶ διακέκναικ' αἴσχιστα. ΔΙΚ. Ποῖος οὑτοσὶ
Τιμόθεος; ΜΟΥΣ. Μιλήσιός τις Πυῤῥίας
κακά μοι παρέσχεν· οὗτος ἅπαντας, οὓς λέγω,
παρελήλυθεν ἄγων ἐκτραπέλους μυρμηκίας.
κἂν ἐντύχῃ πού μοι βαδιζούσῃ μόνῃ,
ἀπέλυσε κἀνέλυσε χορδαῖς δώδεκα.

Quod ultimis duobus versibus dictum est haud dubie ad assum citharae lusum pertinet, quo Timotheus imprimis artificiosis cantus flexionibus indulserit iisque musicam plane dissolverit.

Hanc tamen quaestionem difficillimam esse intelligimus, ubi paulum circumspexerimus. Videmus enim iam Athenaei temporibus pleraque de antiquorum instrumentis musicis ignota et obscura fuisse[33]). Itaque minus etiam nos ex iis, quae de hac re manca et incerta memoriae nostrae tradita sunt, quid verum sit eruere possumus. Atqui quod in universum valet imprimis de Timothei instrumento dicendum est. Nam quae de eo docemur, quum pauca sint eaque ipsa sibi repugnent, minime iustam eius cognitionem suppeditant. Ergo non tantum quomodo et quot chordis tensum, sed etiam utrum lyra an cithara fuerit, dubium est. Inter omnes quidem huius rei auctores constat Timotheum instrumento satis artificioso usum esse, sed quo potissimum modo comparatum fuerit, non addunt, et quot chordas habuerit ambigunt adeo, ut alius novem[34]), alius decem[35]), alius undecim[36]), alius duodecim[37]) fuisse referat. Ex his viri docti numerum undecim chordarum pro vero ducentes lyram Timothei ita tensam fuisse statuunt, ut undecim sonis tria diatessaron exhibuerit. Sed si Timotheus eiusmodi instrumentum habuit, primum non intelligitur, quomodo aequales eo tantopere offendere potuerit[38]), quum diu antea instrumenta vel plura dia-

---

[33]) Athen. XIV, 635 sq.

[34]) Plin. hist. nat. VII, 57. Plutarch. Agis c. 10.

[35]) Suidas s. v. *Τιμόθεος . . . ὃς τὴν δεκάτην καὶ ἑνδεκάτην χορδὴν προσέθηκε καὶ τὴν ἀρχαίαν μουσικὴν ἐπὶ τὸ μαλθακώτερον μετήγαγεν.*

[36]) Pausan. III, 12, 10. Decretum Laced. Nicomach. Harm. Man. II. p. 35. Meib.

[37]) Pherecrates ap. Plutarch. v. not. 32.

[38]) Quantae offensae fuerit, et e Pherecratis verbis et inde colligitur, quod Lacedaemone instrumentum Timothei, chordis heptachordo additis privatum, in Sciade poenae causa suspensum esse dicunt. Haec tamen narratiuncula, quum ab alio aliter narretur (cf. Paus. III, 12, 10. Athen. XIV, 636. Plut. instit. Lacon. 17. p. 238.), eademque de Phrynide divulgata sit (Plut. Agis 10. p. 799.), valde fabulosa nec minus incerta, quam decretum illud Lacedaemoniorum spurium est et ex communi paene virorum doctorum consensu a grammatico confectum. Sed licet non genuinum sit, omnia in eo congesta sunt, quae Timotheo

pason continentia inventa essent [39]); deinde minus etiam perspicitur, quomodo modos suos artificiosissimis cantus flexionibus pluribusque harmoniis et generibus simul usurpatis insignes eo extulerit. Suspicamur igitur Timothei instrumentum aliter comparatum atque aut lyram fuisse ita tensam, ut unius tantum diapason, sed plurium harmoniarum vel generum sonos exhiberet, aut potius citharam, quae, quum ex eadem chorda plures soni elici possent, sonos plurium harmoniarum et generum eosque per plura diapason praebuerit. Ad hanc coniecturam sustentandam quum Platonis [40]) et Aristotelis [41]) verba faciunt, e quibus apparet talia instrumenta illis temporibus in usu fuisse, tum id, quod etiam Phrynis similem citharam lusit et quod Timothei instrumentum diserte cithara appellatur [42]). Sed non dissimulandum est huiusmodi instrumentum vix tractari potuisse, si plus novem chordis habuerit.

---

opprobrio dari solebant, quare apponam, ut O. Müller Dor. v. II. p. 324. edidit: *Επειδε ό Τιμοθεος ό Μιλησιος παργινομενος εν ταν ἁμετεραν πολιν ταν πάλαιαν μοαν ατιμασδε, και ταν δια ταν ἑπτα χορδαν κιταριτιν αποστρεφομενος πολιφονιαν ειςαγον λιμαινεται ταρ ακοαρ τον νεον δια τε ταρ πολιχορδιαρ και ταρ καινοτατορ το μελεορ, αγεννε και ποικιλαν αντι ἁπλοαρ και τεταμεναρ αμφιεννιται ταν μοαν, επι χρωματορ σινισταμενορ ταν το μελεορ διασκειαν αντι ταρ εναρμονιο ποτταν αντιστροφον αμοιβαν· παρακλητεις δε και εττον αγονα ταρ Ελευσινιαρ Δαματρορ απρεπε διεσκειασατο ταν τω μιτω διασκειαν, ταν γαρ Σεμελαρ ωδινα ουκ ενδικα τορ νεορ διδακκε· δεδοκται αρ περι τουτριν τορ βασιλεαρ και τορ εφορορ μεμψατται Τιμοθεον, επαναγκαται δε και ταν ἑνδεκα χορδαν εκταμεν ταρ περιτταρ ὑπολιπομενον ταρ ἑπτα· ὁπορ ἑκαστορ το ταρ πολιορ βαρορ ὁρον ευλαβεται ετταν Σπαρταν επιφερεν τι τον με καλον ετον, με ποτε ταραττεται κλεορ αγωνον.*

[39]) Athen. XIV. p. 635. D. 637. A. B.

[40]) Quum aliis locis aequalium instrumenta artificiosiora notat, tum de rep. III. 399. C. *παναρμόνια* nominat, quippe quibus omnes harmoniae efferri possint.

[41]) de polit. VIII, 6.

[42]) Pausan. l. l. Ab Artemone autem, apud Athenaeum XIV, 636. D., quum magadis nominetur Timothei instrumentum, hoc quoque nomen ad instrumentum artificiosum sonorumque copia insigne pertinet. cf. Telest. fr. IV.

Timotheus igitur, ut quid praestiterit paucis comprehendam, ingenio haud vulgari tam poesim, quam musicam excoluit, praecipue autem musicam adeo auxit et locupletavit, ut artis colendae quasi normam constitueret et nemo Graecorum perfectiorem eam redderet [43]). Haec tamen eius merita quamvis maxima fuerint, non defuerunt ea, quae arti potius noxae quam commodo essent. Sed vitiis, quibus indulsit, omnino temporum illorum status solutus et honestioribus studiis alienus ferebat. Quare quum adversarii ei non deessent et initio vel populus Atheniensis eum exsibilaret, brevi laudatores exstiterunt plurimi atque non minus reges quam cives summa gratia eum acceperunt [44]), quin posteri maxime celebrarunt modosque eius per plura saecula summo studio et cecinerunt et audierunt [45]).

---

[43]) Omnium aemulorum nullus neque de gradu pellere potuit Timotheum, neque parem gloriam adeptus est. Quibus quanto Timotheus praestiterit, vel Stratonici verba (ap. Athen. VIII, 352.) demonstrant. Hic enim, alias ipse Timothei derisor (cf. p. 62.), quum Polyidus victoriam Philotae, discipuli sui, de illo deportatam iactaret, mirari se, inquit, quod ignoraret ipsum quidem decreta (ψηφίσματα), Timotheum autem leges (νόμους) facere. cf. p. 61. cf. Aristot. metaphys. ἔλαττον. p. 993.

[44]) v. p. 59. p. 64. not. 21.

[45]) Modi eius, ut Philoxeni, ab Arcadum choris diebus festis canebantur. Polyb. IV, 20, 6. Athen. XIV. p. 626. — cf. p. 65. not. 27. Chishull. Antiqq. Asiatt. p. 121.

III. Carminum fragmenta.

ΚΥΚΛΩΨ.

I.

⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑ –
⏑ –́ –́ ⏑ ⏑͡⏑ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏓
×̲ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏓
⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
⏑ ×̲ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – –

῎Εχευε δ' ἓν μὲν δέπας κίσσινον
μελαίνας σταγόνος ἀμβρότας, ἀφρῷ βρυάζον,
εἴκοσιν δ' ὕδατος μέτρ' ἀνέχευεν·
ἔμισγε δ' αἷμα Βακχίου
νεοῤῥύτοις δακρύοισι Νυμφᾶν[1]).

Hi versus leguntur et apud Athenaeum XI, 465. C. et apud Eustathium ad Od. 1631, 61: *Τιμόθεος δ' ἐν Κύκλωπι·*

῎Εχευε δ' ἓν μὲν δέπ.

Describitur egregii vini commixtio eodem paene modo, quo Homerus usus est Od. IX, 208. Ubi quum Ulixes egregium vinum a Marone sibi dono datum Cyclopi commendet, suspicari licet ad eundem finem in Timothei Cyclope Ulixem illos versus elocutum esse. Ceterum, si cum Homericis illis hos comparamus, apparet, quantum dictio dithyrambica a simplicitate epica discedat. Homerus quoque in celebrando vino illo optimo satis copiosus est, sed dum vinum eiusque virtutes nominibus peculiaribus et solitis laudat, Timotheus haec eadem quaesitis et insolitis verbis effert; neque est hoc ei satis, repetit etiam vini, quam modo exposuit, mixtionem, ita ut tumida descriptione vinum sanguinem Bacchi, aquam recentes Nympharum lacrimas nominet.

Vocabulo *μέτρα* certus modus significatus est, ut apud Homerum l. l. et Od. II, 355. — *Βακχίου.* Haec nominis forma nonnunquam invenitur apud poetas pro vulgata *Βάκχος*. Eurip. Cycl. v. 519. Plures locos Schweighaeuserus collegit.

II.

⏓ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –

---

[1]) v. 1. *ἔχευε* omisit Epit. et Eustath., codd. *ἔχευε δέ, ἔχυνεν δέ.* — v. 3. *εἴκοσιν* Dindorfius pro vulgato *εἴκοσι.* — v. 4. *δ' αἷμα* Grotefendus, codd. *δίαμα* vel *δ' ἅμα.* — v. 5. *Νυμφᾶν* Schweighaeuserus, codd. *νύμφαν*, Epit. *πηγᾶν*.

Οὔτοι τόν γ' ὑπεραμπέχοντα
οὐρανὸν εἰσαναβήσει.

Hos versus exhibet papyrus musei regii Paris., quem primus Letronnius in lucem protulit, hunc post Schneidewinus edidit (*Fragmente griechischer Dichter etc. Göttingen* 1838.). Pag. 21. ed. Schn. haec verba leguntur: *Εἰ Κύκλωψ ὁ Τιμοθέου πρός τινα οὕτως ἀπεφήνατο·* *ΟΥΤΟΙΤΟΝΓΥΠΕΡΑΜΠΕΧΟΝΤΑΟΥΡΑΝΟΝΕΙCΑ ΝΑΒΗCΕΙ.*
Haec e Timothei dithyrambici Cyclope esse verba ipsa indicant, Letronniumque, qui negligentius Timotheo comico tribuit, Schneidewinus bene redarguit. Minus placet, quod idem vir doctus statuit verba proverbiali sensu accipienda esse; sic enim neque facile apparet, quo sensu dicta sint, et verba ipsa repugnant. Sine dubio ipsum Ulixem Cyclops occaecatus et occaecatorem per antrum quaerens iis allocutus est, ita quidem, ut minaretur eum non ut Solem in coelum adscensurum, sed in antro retentum poenas daturum esse.

Ὑπεραμπ. epitheton, coeli naturam optime depingens, plane ex genere eorum est, quae in unoquoque fere et Timothei et ceterorum dithyrambicorum versu inveniuntur. — *εἰσαναβ.* peculiare est vocabulum, quo Sol in coelum dicitur adscendere.

III.

⏑ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏑ –́

Τεταμένον ὀρίγανα[2]) *διὰ μυελοτρεφῆ.*

Etymol. M. p. 630, 41: *Ἡ ἐπειδὴ (ὥς φησιν Ὠριγένης) εὕρηται ἐν συστολῇ ἡ ρι συλλαβή, ὡς παρὰ τῷ Τιμοθέῳ τῷ κιθαρῳδῷ, οἷον· τεταμένον ὀρίγανον διὰ μυελοτροφῆ. — σύγκειται δὲ οὗτος ὁ στίχος ἀπὸ προκελευσματικῶν· ὁ δὲ τελευταῖος πους ἀνάπαιστός ἐστι, τῶν δύο βραχέων εἰς μίαν μακρὰν συναιρεθεισῶν.* Cram. Anecd. Paris. t. IV. p. 72: *ὡς παρὰ Τιμοθέῳ τῷ κιθαρῳδῷ, οἷον·*

---

[2]) sic vulgatum *ἐρίγανον* emendavit Gaisfordius ad Hephaest. p. 259. ex ms. Dorvill.

τεταμένα ὀρίγανα διὰ μυελοτροφῆ. σύγκειται δὲ οὗτος ὁ στίχος ἀπὸ προκελευσματικῶν.

Sensus versus e sententiarum cohaerentia plane abrupti non perspicue apparet. Speciosa est autem Bodii coniectura, e Timothei Cyclope esse eoque Polyphemum vino prostratum notari. Ὀρείγανον enim vel ὀρίγανον, herba e genere amaraci, a pluribus scriptoribus rei rusticae (Pall. IV, 9. X, 13. Col. IX, 4. Pall. XII, 22., I, 35.) et a Plinio (H. N. XX, 26. 27.) laudatur quum propter usum eius in medicina, tum propterea quod ad vinum et olivas condiendas aptum sit, origanitumque vinum origano conditum a Catone commemoratur (R. R. 127.). Quod si non solum ab aegris, sed etiam a sanis bibebatur, Timotheus sane pro audaci eius verborum translatorum usu origano vinum origanitum significare, Cyclopemque eo extensum dicere potuit. Cogitari etiam potest Polyphemi speluncam origano propter suavem eius odorem stratam, ipsumque verbis illis quomodo temulentus per hoc origanum extensus iacuerit descriptum esse. Utut hoc est, e dithyrambo versum servatum esse rhythmi impetus probat.

IV.

–́ ∪ – –́ ∪ ∪ – ⏓
–́ ∪ ∪͜∪ ∪ –́ –
∪ ∪ –́ – ∪ ∪ –́ –
∪ ∪ –́ – ∪ ∪ –́ –
∪ ∪ –́ – ∪ ∪ –́ –

Οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά·
καινὰ γὰρ ἅμα κρείσσω.
νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει,
τὸ πάλαι δ' ἦν Κρόνος ἄρχων·
ἀπίτω Μοῦσα παλαιά [3]).

Hi versus leguntur apud Athenaeum (III, 122. C. D.) et Eustathium (ad Od. 1422, 50.), quorum neuter addit, e

3) v. 2. καινὰ Casaub., cod. καὶ τά. ἅμα omisit Epit. et Eustath. Bergkius coniecit μάλα. — v. 4. τὸ πάλαι e coniectura Meinekii, vulgo τὸ παλαιόν.

quo Timothei carmine sumpti sint. Sed e dithyrambo esse colligimus tam e metro quam e dictione animi fervori, quo poeta antiqua valere iubens novi saeculi praeconem se profitetur, plane respondente.

V.

⏑ ⏑ ⏑́ – ⏑ ⏑ ⏑́ – ⏑ ⏑ ⏑́ –

Σὺ δὲ τὸν γηγενέταν ἄργυρον αἰνεῖς.

Hunc versum Plutarchus duobus locis exhibet, de fort. Alex. II. c. 1. p. 334. et Apophth. p. 177., et priore quidem loco haec refert: *Ἀρχελάῳ δὲ δοκοῦντι γλισχροτέρῳ περὶ τὰς δωρεὰς εἶναι Τιμόθεος ᾄδων ἐσήμαινε πολλάκις τουτὶ τὸ κομμάτιον·*

Σὺ δὴ γηγενέταν ἄργυρον αἰνεῖς.

Ὁ δὲ Ἀρχέλαος οὐκ ἀμούσως ἀντισυνεφώνησε· σὺ δέ γ' αἰτεῖς. Versum igitur Timotheus videtur in carmine aliquo iterasse. Ceterum *σὺ δέ*, quod altero illo loco invenitur, metri causa praetuli.

ΠΕΡΣΑΙ.

VI.

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓

Κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχω μέγαν Ἑλλάδι κόσμον.

Hic versus exstat apud Plutarchum, Philop. c. 11. p. 362., et apud Pausaniam VIII, 50. p. 701., qui ita exhibet: *Κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον.* Plutarchus versum his verbis profert: *Ἄρτι δὲ αὐτῶν εἰσελθόντων κατὰ τύχην Πυλάδην τὸν κιθαρῳδὸν ᾄδοντα τοὺς Τιμοθέου Πέρσας ἐνάρξασθαι· Κλεινὸν κτλ., ἅμα δὲ τῇ λαμπρότητι τῆς φωνῆς τοῦ περὶ τὴν ποίησιν ὄγκου συμπρέψαντος, ἐπίβλεψιν γενέσθαι τοῦ θεάτρου πανταχόθεν εἰς τὸν Φιλοποίμενα καὶ κρότον μετὰ χαρᾶς.* Eadem fere Pausanias narrat: Pyladem celeberrimum citharoedum in ludis Nemeis Timothei Persas canturum hoc versu incepisse, omnesque auditores cantum ad Philopoemenem modo introeuntem retulisse. Praeterea diserte carmen illud *νόμον* appellat, dicit enim: *ᾄδοντος Τιμοθέου νόμον τοῦ Μιλησίου, Πέρσας.*

Quae quum ita sint, hunc nomum Timothei metro quidem eo videmus initium habuisse, quod huic poesis generi antiquitus constitutum erat, simul tamen e versu isto coniecturam facere licet de rhythmo mutato: est enim non tam hexameter epicus, quam lyricus, duobus tripodiis dimensus.

VII.

⏑ ´– ´ ⏑ – ⏑́⏑ ⏑ – ⏑́⏑ ⏑ –

Σέβεσθ' αἰδῶ συνεργὸν ἀρετᾶς δορυμάχου.

Plutarch. de audiend. poet. p. 32. c. 11: *Ἀφ' ὧν καὶ Τιμόθεος ὁρμηθεὶς οὐ κακῶς ἐν τοῖς Πέρσαις τοὺς Ἕλληνας παρεκάλει·*

Σέβεσθ' αἰδῶ κτλ.

Hortatur Timotheus hoc versu Graecos ad colendum pudorem, bellicae virtutis socium. Quae sententia saepius ab antiquis edicta est, quum ab aliis, tum a Platone, qui in libro de legibus fortissimos dicit eos fore, qui maxime pudore indecori et inhonesti ducerentur. Vocabulum *δορυμαχ.* optime facit ad virtutem significandam bellicam.

VIII.

⏑ ´ ⏑ – – ´ ⏑ – – ´ ⏑ – ⏓

Ἄρης τύραννος· χρυσὸν Ἑλλὰς δ' [4]) *οὐ δέδοικεν.*

Hunc versum Plutarchus Agesil. c. 14. his commemorat: *Ἥδιστον δὲ θέαμα τοῖς κατοικοῦσι τὴν Ἀσίαν Ἕλλησιν ἦσαν οἱ πάλαι βαρεῖς καὶ ἀφόρητοι καὶ διαῤῥέοντες ὑπὸ πλούτου καὶ τρυφῆς ὕπαρχοι καὶ στρατηγοί, δεδιότες καὶ θεραπεύοντες ἄνθρωπον ἐν τρίβωνι περιιόντα λιτῷ καὶ μετασχηματίζοντες· ὥστε πολλοῖς ἐπῄει τὸ τοῦ Τιμοθέου λέγειν· Ἄρης κτλ.* cf. Demetr. c. 42. p. 909.

Utebantur igitur hoc versu Graeci Asiatici, quum duces Persarum auro fulgentes summa observantia et submissione adversus Agesilaum se gerere viderent. Oppo-

---

4) *δὲ* in libris ante *Ἑλλὰς* positum est, metri causa Bergkium secutus postposui.

nebant autem per vocabula *Ἄρης* et *χρυσόν* fortitudinem Graecorum divitiis Persarum ita, ut sentirent in Marte, qui in ipsis valeret, omnem vim et salutem positam esse, nec Persarum opes sibi timendas. Eodem sensu versum a Timotheo ipso et in Persis quidem censeo dictum esse.

ΕΙΣ ΑΡΤΕΜΙΝ.

IX.

– ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡

Μαινάδα, θυάδα, φοιβάδα, λυσσάδα.

Plutarch. de aud. poet. c. 4. p. 22. cf. de superstit. c. 10: *Τιμοθέῳ μέν γε ᾄδοντι τὴν Ἄρτεμιν ἐν τῷ θεάτρῳ μαινάδα κτλ. Κινησίας εὐθὺς ἀντεφώνησε· τοιαύτη σοι θυγάτηρ γένοιτο.*

Versus videtur ex hymno Timothei in Dianam esse, quem Ephesiis composuit (cf. p. 64.) et, ut e illis Plutarchi verbis colligitur, Athenis in theatro iteravit. Epitheta illa, quae Dianam significant fanaticam, Ephesiae Dianae non inepte tributa sunt. Similiter Sophocles Ai. v. 175. furorem ad Dianam Tauropolam refert. cf. Lobeck. ad h. l. et Aglaoph. p. 1089.

X.

◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – –
◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – –

Διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων
διά τ' ὠκυτόκοιο Σελάνας.

Plutarch. sympos. III. p. 659. A. tom. VIII. p. 615 Reisk.: *Λέγεται δὲ πρὸς ὠκυτοκίαν συνεργεῖν, ὅταν ᾖ διχόμηνος, ἀνέσει τῶν ὑγρῶν μαλθακωτέρας παρέχουσα τὰς ὠδῖνας, ὅθεν οἶμαι καὶ τὴν Ἄρτεμιν Λοχείαν καὶ Εἰλείθυιαν οὐκ οὖσαν ἑτέραν, ἢ τὴν σελήνην, ὠνομάσθαι. Τιμόθεος δ' ἄντικρύς φησι· Διὰ κυάνεον κτλ.* cf. Macrob. Sat. VII, 16.

Interpretes accusativo verborum *κυάνεον πόλον* offensi de eorum integritate dubitaverunt, et Turnebus quidem ac Valkenarius coniecerunt *κυανέων πόλων*, Reiskio magis placuit *κυανέου πόλου*. Sed nihil mutandum est.

Iam enim constat poetas graecos praepositionem *διά* etiam tum cum accusativo coniungere, quum spatium aliquod permeari dicant, quo sensu reliqui scriptores potius genitivum usurpare solent. Verba autem ita cohaerent, ut secundum quoque *διά* ad vocabula *κυάνεον πόλον* referendum sit et ab his genitivi *ἄστρων* et *ὠκυτόκοιο Σελάνας* pendeant. *Κυάνεος πόλος* est caeruleum coelum. *Πόλος* enim non solum ipsum stellarum circuitum, sed etiam locum significat, quo circumagantur. cf. fr. XI.

XI.

∪ –́ ∪ ∪ – ∪ ∪ –́ ∪ ∪ ⏓
– –́ ∪ – – –́ ∪ ∪ – –
–́ ∪ ∪ – ∪ ∪ – –́ ∪ ⏓
–́ ∪ ∪ – – –́ –

Σύ τ' ὦ τὸν ἀεὶ πόλον οὐράνιον
ἀκτῖσι λαμπραῖς Ἥλιε βάλλων,
πέμψον ἑκαβόλον ἐχθροῖς βέλος
σᾶς ἀπὸ νευρᾶς, Παιάν[5]).

Hi versus splendidissimi exhibentur a Macrobio Sat. I, 17. Ex paeane eos esse eius generis, quo Apollinem precabantur, ut hostibus mala mitteret, quum e sententia verbis elata, tum ex ipso quo deus vocatus est nomine *Παιάν* intelligitur. Quo quum nominaretur mala aut averruncans aut mittens, carmina quoque ipsa, quibus ut alterutrum faceret orabatur, *παιᾶνες* appellabantur. Sed ut illo munere ac nomine nihil Apollini antiquius erat, id quod videmus, Solis epitheta ad eum translata esse, non ante exitum saeculi quinti videtur factum. Egregie autem poeta his usus ut tela perniciosa hostibus immittat eum precatur, qui radiis suis totum coelum feriat. *Πόλον οὐρ.* eodem sensu, quo antecedente fragmento, dictum est.

Metrum versuum ei simillimum est, quod in fragmentis paeanum Pindari invenitur.

---

5) *ἀκτῖσι λαμπραῖς* Bergkius pro *λαμπραῖς ἀκτῖσι.*

XII.

⏑ ⏖ ⏑ ⏓ ⏑ ⏒ ⏑ ⏑ ⏖ ⏑ – – – ⏑
⏓ – ⏒ ⏑ ⏑ ⏖ ⏑ ⏒ ⏑ – –
⏓ – ⏒ ⏑ ⏑ – ⏑ – –

Μακάριος ἦσθα, Τιμόθεε, ὅτε κάρυξ εἶπε·
νικᾷ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος τὸν
Κάρβωνος τὸν ἰωνοκάμπταν.

Hos versus Plutarchus haud dubie ex carmine aliquo Timothei exhibet, ut exemplum proponat, quomodo Timotheus se ipsum laudaverit. Dicit autem in libro de sui laude p. 539, 13. t. VIII. p. 133. Reisk., ubi similia de aliis poetis, ut de Pindaro, protulit, haec: *ἢ καὶ τὸν Τιμόθεον ἐπὶ τῇ κατὰ Φρύνιδος νίκῃ γράφοντα·*

Μακάριος ἦσθα, Τιμόθεε κτλ.

εἰκότως δυσχεραίνομεν ὡς ἀμούσως καὶ παρανόμως ἀνακηρύττοντα τὴν ἑαυτοῦ νίκην.
Sine dubio Phrynis, de quo victoriam deportasse Timotheus versibus illis iactat, ille Mytilenaeus fuit, quem Aristoteles met. A. p. 993. Bekk. celeberrimum musicorum, qui ante Timotheum florerent, nominat, licet apud Suidam non Carbonis, sed Canopis filius dicatur; v. supra p. 13. *ἰωνοκ.* qui mollioribus cantus flexionibus utitur. Similiter dicitur *ἰωνίζειν* molliter loqui, *ἰωνόκυσος* homo mollis, voluptarius. Videmus igitur Timotheum, quod ipsi daretur opprobrio, idem in aliis reprehendisse. Versus sunt dactylici logaoedici, primus cum dibasi, reliqui cum basi, quales et apud antiquiores lyricos et apud tragicos, imprimis apud Euripidem saepissime inveniuntur. Menti poetae laetitia elatae hoc metrum est aptissimum, praesertim quum plures pedes soluti sint.

XIII.

Οὐθ' ὁ πτερωτὸς ἰξὸς ὀμμάτων, Ἔρως,
ὁ Κύπριος κυναγός, ἡ φρενῶν ἀκίς,
ὁ μὴ τίνων θεοῖσιν ὁρκίων δίκας.

Hos versus attuli ex recensione Bergkii. Exstant in Stobaei appendice VIII, 3., ubi haec leguntur: *Τιμοθέου*

ϑ' ὁ πτερωτὸς ἰξὸς ὀμμάτων, ἔρως κτλ. Vim et naturam Amoris his versibus lepidissimis vere poetice laudatam videmus. Vocabulis ἰξὸς ὀμμάτων epitheton πτερωτός adiunctum est ex trito poetarum Graecorum usu, ex quo in circumlocutione periphrastica epitheton cum eo copulant, quod periphrasin facit. cf. Matth. Gr. p. 799. Lobeck. ad Sophocl. Ai. v. 7.

XIV.

–́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪ –́ ∪ –
–́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪ –́ ∪ – ∪ –́ ∪ –

Ἀρτίως διηρτάμηκε καὶ τὰ μὲν διανεκῆ
σώματος μέρη δαμάζετ' ἐν πυρικτύποισι γᾶς [6]).

Hos versus Athenaeus ex Anaxandridis comoedia *Αἰσχρά* servavit. Verba eius (X, 455. F.) haec sunt: *Ἀναξανδρίδης δὲ Αἰσχρᾷ·*

Ἀρτίως διηρτάμηκε καὶ τὰ μὲν διανεκῆ
σώματος μέρη δαμάζετ' ἐν πυρικτύποισι γᾶς·
Τιμόθεος ἔφη ποτ', ἄνδρες, τὴν χύτραν οἶμαι λέγων.

Magno tumore his versibus coctio carnis describitur. Vocabulum *διανεκῆ* sine dubio ad magnitudinem partium pertinet, nam continuas dissecti corporis partes dici non posse nemo non videt. *δαμάζετ' ἐν πυρικτύποισι γᾶς,* coquebat in ollis terrenis igne strepentibus. Haec sane ita dicta sunt, ut comico carpendi ansam praeberent. Verba tamen non solum *ἐν πυρικτύποισι γᾶς,* sed integros illos versus Timothei esse prae ceteris dorica vocabuli *διανεκῆ* forma probatur. Versus sunt tetrametri trochaici catalectici, eo insignes, quod trochaeos plane puros servant, quales versus antiquiores lyrici, ut Archilochus, composuerunt, quum tragici trochaeis spondeos, comici etiam anapaestos admiscerent. cf. *Freese*, *Griechisch-röm. Metrik p.* 152.

XV.

Φιάλη Ἄρεως.

Athenaeus X, 433: *Οὐκ ἂν ἁμάρτοι δέ τις καὶ τὸ*

---

6) v. 2. pro *πυρικτύποισι* Meinekius comic. fr. t. III. p. 164. coniecit *πυρικτίτοισι.*

ποτήριον αὐτοῦ λέγων φιάλην Ἄρεως, κατὰ τὸν Ἀντιφάνους Καινέα, ἐν ᾧ λέγεται οὕτως·

Εἰτῆ δῆλος φιάλην τὸ ὅπλον Ἄρεως,
κατὰ Τιμόθεον.

Quae in codicibus leguntur verba: Εἰτῆ δῆλος φιάλην τὸ ὅπλον Ἄρεως, Iacobsius emendavit: Ἔστη δ' ἥρως φιάλην πάλλων Ἄρεως.

Metaphora φιάλη Ἄρεως, Antiphane teste a Timotheo profecta, minus videtur huic comico, quam Aristoteli probata fuisse, quippe qui pluribus locis eam laudet (rhetor. III, 4, 11. poet. XXI. p. 1457, 15—22 ed. Bekker.), atque in libro de arte poetica his explicet: τὸ δὲ ἀνάλογον λέγω, ὅταν ὁμοίως ἔχῃ τὸ δεύτερον πρὸς τὸ πρῶτον καὶ τὸ τέταρτον πρὸς τὸ τρίτον· ἐρεῖ γὰρ ἀντὶ τοῦ δευτέρου τὸ τέταρτον ἢ ἀντὶ τοῦ τετάρτου τὸ δεύτερον. καὶ ἐνίοτε προστιθέασιν ἀνθ' οὗ λέγει πρὸς ὅ ἐστιν. λέγω δὲ οἷον ὁμοίως ἔχει φιάλη πρὸς Διόνυσον καὶ ἀσπὶς πρὸς Ἄρην· ἐρεῖ τοίνυν τὴν φιάλην ἀσπίδα Διονύσου καὶ τὴν ἀσπίδα φιάλην Ἄρεως.

XVI.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Μνῆμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου, ὀστέα δ' ἴσχει
γῆ Μακεδών, ᾗ καὶ δέξατο τέρμα βίου.
πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλάς, Ἀθῆναι· πλεῖστα δὲ Μούσας
τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει [7].

Hoc epigramma Thomas Magister profert in vita Euripidis his verbis: κενοτάφιον δὲ αὐτοῦ Ἀθήνῃσι γέγονεν, ἐφ' οὗ ἐπέγραψε Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς ἢ Τιμόθεος ὁ μελοποιὸς τάδε· Μνῆμα κτλ. Legitur etiam Anthol. III, 3. p. 961. Iacobs.: εἰς τὸν αὐτὸν (Εὐριπίδην) Θουκυδίδου τοῦ ἱστορικοῦ.

---

[7]) v. 1. μνῆμα Thomas M., μνᾶμα Anthol. — v. 2. ᾗ γὰρ Planudes, ἡ γὰρ cod. Palat.; pro ᾗ γὰρ Osannus (in diariis scholasticis a. 1828. P. II. nr. 15.) coniecit ᾗπερ eo nomine, quod γάρ post pronomen relativum non habeat locum. Mihi magis placuit καί, quod recepi.

Quum inter Thucydidem et Timotheum ambigatur, non dubito potius poetam, quam historicum epigrammatis auctorem habere. Sed faciamus Thucydidem, cuius praeterea nec versus ullus exstat, nec opera carminibus pangendis data usquam commemorata est, epigramma componere potuisse: tamen in Euripidis cenotaphio versus illos verisimilius est Timotheum inscripsisse, qui artiore familiaritatis vinculo cum eo coniunctus atque funestae eius mortis fortasse praesens testis erat [8]). Accedit, quod ipsa epigrammatis indoles, etiamsi prorsus indignam Thucydide cum Reiskio non dixerim, certe plus tumoris dithyrambici, quam simplicitatis historicae habet. Prae ceteris a Thucydidis ratione abhorrere videtur versus tertius: *πατρὶς κτλ.*, patria (Euripidis) fuit Athenae, Graeciae Graecia.

---

8) cf. p. 59.

C. Telestes[1]).

I. De vita Telestis.

Telestes a Diodoro Siculo[2]) et Athenaeo[3]) Selinuntius appellatur: quo etsi certi quid de eius patria non doceamur, quum Graecorum oppidorum plura huius nominis memoriae prodita sint, tamen probabile videtur id, quod omnes viri docti, qui hac de re scripserunt, statuunt, Selinunte Siciliae eum ortum esse, quae urbs quum opibus ac celebritate ceteras istas longe superavit, tum illa Telestis aetate eximie floruit[4]). Iam ne ea quidem accuratius definiri potest: nemo enim quo anno natus, quo mortuus sit retulit, sed non magnopere a vero aberrare, qui infra olympiadem octogesimam sextam et centesimam sextam poetam coniiciat vixisse, ex his cognoscitur: Primum in marmore Pario[5]) ol. XCIV, 3. Archonte Micone eum publico certamine Athenis vicisse legimus; deinde Diodorus Sic. circa ol. XCV. annum tertium dicit Philoxenum, Timotheum, Telestem, celeberrimos dithyrambicos, floruisse. Plinius[6]) denique poetam narrat apud Aristratum, Sicyoniae tyrannum, vixisse, quem non ante ol.

[1]) Ulrici l. l. p. 611. Bode l. l. p. 297. n. 1.
[2]) XIV, 273.
[3]) XIV, 625. F.
[4]) Reinganum, *Selinus und sein Gebiet.*
[5]) ep. 66. cf. Clinton. fasti Hell. ad ol. XCIV, 3.
[6]) h. n. XXXV, 56.

CIV. hunc dominatum occupasse verisimile est[7]). Quanti Aristratus Telestem fecerit, idem Plinius nos docet, qui tyrannum auctor est poetae monumentum a Nicomacho pictore pingendum curasse.

Sed etsi his artissimis finibus tota nostra vitae Telestis notitia circumscripta est, nec usquam quidquam, quod sciamus, relatum est, quo dilatentur, tamen vel ex iis, quae protulimus, apparet more aequalium poetarum eum modo hic, modo illic vitam degisse, ita ut nunc celeberrimis Graeciae urbibus, nunc tyrannis artem suam probaverit.

II. De arte Telestis.

Telestes a Dionysio Halicarnassensi [1]) et Diodoro Siculo [2]) dithyrambicus nominatur celeberrimisque eius generis poetis adscribitur. Praeterea memoriae proditum est Harpalum eius dithyrambos dignos habuisse, quos Alexandro Magno in Asiam mitteret [3]). Quorum quum ne unus quidem integer legatur, trium tantum tituli exstent: *Ἀργώ*, *Ἀσκληπιός*, *ὑμέναιος διθύραμβος* [4]), indicia autem, e quibus consilium et argumentum carminum refingi possit, nulla inveniantur, hoc certe prospere nobis evenit, quod eorum reliquiae ampliores sunt, quam reliquorum

---

[7]) Mentionem huius Aristrati ab alio antiquorum scriptorum non inveni factam, et quod de eius aetate dixi non nisi eo nititur, quod Xenoph. Hellenic. VII, 1, 44., ubi Euphronem refert ol. CIII, 3. rerum Sicyoniarum potitum esse, tunc primum dicit tyrannum in hac civitate exstitisse. Utitur enim his verbis: *ἐν δὲ Σικυῶνι τὸ μὲν μέχρι τούτου κατὰ τοὺς Ἀχαιῶν νόμους ἡ πολιτεία ἦν.* Ex his igitur colligimus Aristratum demum post Euphronem Sicyoniae tyrannum factum esse.

[1]) de compos. verb. c. 19.

[2]) XIV, p. 273. cf. Wesseling. ad h. l.

[3]) Plutarch. Alex. c. 8. Nullius igitur momenti est, quod Suidas Telestem inter comicos refert.

[4]) cf. fragm. IV.

dithyramborum. Itaque quae supra in universum de genere dicendi et de arte metrica dithyrambographorum disserui, ea maximam partem ex his petii. Iam igitur, ne copiosius agam et multa repetam, primum de genere dicendi hoc tantum addam. Praeter magnam epithetorum copiam et multas descriptiones saepe tumore laborantes occurrit magna verborum collocandorum licentia: quae, ubi accuratius advertimus, minime temeraria esse, sed certo quodam consilio inservire nec tam nimio animi fervori, quam studiosae meditationi tribuenda videtur. Verba enim e sede sua remota sunt nunc, ut pariter sonantia adiungantur, nunc, ut idem vel contrarium significantia sibi opponantur sententiarumque vis augeatur [5]).

Metrum autem quum ut reliqui dithyrambici satis simplex fingeret, paribus vel similibus ordinibus coniunctis, maiorem varietatem non nisi ita adhibere solebat, ut sententiis apta esset. Semel tamen offendimur metrorum diversissimorum compositione [6]).

De arte Telestis musica nihil usquam relatum reperimus, sed dithyrambicum eam non parum coluisse per se patet et ex ipsius fragmentis, quae tota in ea laudanda versantur, colligitur. Memorabile est autem Telesti, quum reliqui poetae fidium artem omni studio amplecterentur, nisi magis, certe aeque tibiarum lusum probatum fuisse. Summis enim laudibus eum celebravit atque enixe id egit, ut convicia in eum coniecta refutaret. Quae unde orta sint, supra indicavimus; sed ut facilius quomodo sese habuerint intelligatur, accuratior disquisitio de fabulis tibiae inventae et propagatae instituenda est [7]).

Iam si quae de hac re narrari solent percensemus, communi paene omnium consensu videmus e Phrygia tibiam Graecis allatam dici Marsyamque, Cybelae comitem, tanquam huius artis archegetam nominari [8]). Praeter alia autem hunc referunt, ut artis suae praestantiam evinceret,

---

[5]) v. fragm. I. v. 1. 13. II, 2.

[6]) v. fragm. IV.

[7]) cf. Boettiger, *Attisches Museum* t. I. p. 290 sq.

[8]) Plutarch. de mus. c. 7.

ipsum Apollinem ad certamen provocasse, sed a citharoedo victum miserabili morte audaciae poenam dedisse[9]). Hic mythus aperte victoriam celebrat ab Apolline tum deportatam, quum primum ipsius et Cybelae cultus, natura sibi adversantes diversissimaque musica distincti, conflictabantur. Quod quum ad tempora remotissima referendum sit, haud dubie ipse mythus est antiquissimus. Nam satis mature videmus litibus istis compositis tam Cybelam et Bacchum iuxta Apollinem a Graecis cultos, quam ad citharam tibiam quoque receptam et studiose exercitam esse. Quid quod ipsi Apollini tibiarum cantus acceptus habebatur et olympiadis XLVIII. anno tertio vel Pythica tibicinum certamina instituta sunt. Sed ubi Graeci tibiae lusum totum suum fecerunt, iam non a peregrinis tibiam sese accepisse confitebantur, sed ab ipsa Minerva, omnium paene artium fautrice, inventam ac sibi donatam esse fingebant. Legimus hanc fabulam apud Pindarum[10]), amplissimum tibiae laudatorem, ita: Minerva postquam Perseum, Medusa necata, salvum reduxit, planctum, quem propter sororem trucidatam superstites Gorgones earumque serpentes ediderant, instrumento imitans tam tibiam invenit, quam modum multorum capitum (*κεφαλᾶν πολλᾶν νόμον*), tenue permeantem aes simul et calamos, ortos ad Caphisidem lucum (ad lacum Copaidem). Hac igitur fabula utrumque illud, quod alias a Phrygiis tibicinibus inventum esse narratur, Minervae attributum est: quod quidem fieri non potuit, nisi iam magno studio tibiae lusus a Graecis fuisset excultus. Itaque si tempus quaerimus, quo fere orta sit, verisimillimum videatur non multo nec ante nec post olympiadem XLVIII. eam exstitisse; aeque autem verisimile est, quod Boettigerus statuit, a Boeotis eam profectam esse. Omnium enim Graecorum Boeoti, quibus natura etiam calamos ad tibias fabricandas aptissimos praebuit, studiosissime tibiae lusum exercuerunt atque Minervam inde ab antiquissimis temporibus summa

---

9) Apollod. IV, 2. Herod. VII, 26. Xenoph. Anab. I, 2, 8. Diod. Sic. III, 58.

10) Pyth. XII, 18—27. cf. v. 6.

solemnitate coluerunt. Ceterum apparet hanc fabulam antiquiori illi de Medusa a Perseo necata intextam esse, atque suspicari licet eius rei ansam nomen dedisse νόμος κεφαλᾶν πολλᾶν.

Iam vero maxime in usu erat tibia Graecis inde a bellis Persicis, quo tempore vel ad musicam puerorum institutionem adhibita est. Sed non diu stetit hoc loco. Periclis enim aetate Athenienses eam rursus explodebant, sive quod os eius lusu deformari cantumque negligi aegre ferrent, sive quod ad animum excolendum minus aptam putarent [11]. Inde ingenui homines nec didicerunt amplius tibia canere, nec publice hanc artem ostendere sese dignum censuerunt. Attamen nihilominus eam, licet peregrinis relictam, publice praemiis iisque magnis honorare placuit, ac summo applausu accipiebantur homines, qui undique ex aliis Graeciae civitatibus, imprimis ex Boeotia Athenis congregati artem suam ostentarent. Quae quum ita facta sint, non miramur, quod brevissimo temporis spatio tibiarum ars perfectissime exculta est, suique iuris facta paene in primarium locum ascendit, quum antea arti poeticae addicta non nisi secundarias partes egisset. At non omnibus aeque haec mutatio probata erat; sed quum omnes simplicis antiquae artis fautores per tibicines sinceram musicam corrumpi arbitrati de artificiis eorum vehementer querebantur, tum poetae tibicines vetere quo sibi adstricti fuerant vinculo Melanippidis aetate soluto iam e famulis aemulos sibi exstitisse, qui fastu superbientes de imperio certare auderent, molestissime ferebant ac totam tibicinum artem odio persequebantur. Ex hoc poetarum et comicorum et lyricorum infenso studio quum multa tibicinibus odiosa ficta et divulgata sunt, tum haec fabula odiosissima: Minervam invenisse quidem tibiam, sed simulac os eius lusu sibi deformari adverterit, eam non solum abiecisse, sed etiam abominatam esse poenasque ei minitatam, qui suscipere et colere ausus foret. Marsyam tamen reiectam tibiam invenisse, cupidissime arripuisse, eius lusui indulsisse, quin ad eam artis suae ia-

11) Aristot. pol. VIII, 6.

ctationem pervenisse, ut ipsum Apollinem in certamen provocaverit. Sed ei funestum fuisse: nam succubuisse deo, victoque cutem detractam esse. Si de auctore huius fabulae quaerimus, fortasse Melanippides, qui primus tibicinum arrogantiam expertus est [12]) omniumque, per quos fabula ad notitiam nostram pervenit, antiquissimus invenitur, eam excogitavit. Deinde brevi a multis eam tractatam et divulgatam esse tam e narrationis varietate [13]), quam inde colligitur, quod vel opifices ex ea saepe fingendi materiam sibi sumpserunt [14]). Gravissimo autem huius rei argumento sunt verba Telestis, qui fabulam istam a vaniloquis poetis contendit profectam et per Graeciam propagatam esse [15]). Quod quum faceret fabulamque ut commenticiam deprecaretur, luculentissime ostendit poetas certe lyricos tum desiisse tibiarum artem impugnare atque ex aemulis eius et obtrectatoribus fautores et defensores evasisse.

III. Carminum fragmenta.

ΑΡΓΩ.

I.

∠ ∪ – ∪ ∠ ∪ – ∪ ∠ ∪ – ∪ ∠ ∪ –
– ∠ ∪ – – ∠ ∪ ⏓
∠ ∪ ∪ – –
∪ ∠ ∠ ∪ – ∪ ∠ ∪ – ∠ ⏓
∠ ∪ – ∪ ∠ ∪ –

---

[12]) v. supra p. 11.
[13]) v. Hygin. fab. 165. Apollod. I, 4, 2. cf. Boettiger. l. l.
[14]) Paus. I, 24. cf. Boettiger. p. 319.
[15]) cf. fragm. I.

– –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏓
⏑ –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏓
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
× ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏓
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏓
– –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – – –́ ⏑ ⏓
⏑ –́ – –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏓

Athen. XIV. p. 616. F. — 617. A.: *Πρὸς ὃν ἀντιλέγων ἄλλος ἔφη· Ἀλλ' ὅ γε Σελινούντιος Τελέστης τῷ Μελανιππίδῃ ἀντικορυσσόμενος ἐν Ἀργοῖ ἔφη (ὁ δὲ λόγος ἐστὶ περὶ τῆς Ἀθηνᾶς)·*

Ὃν σοφὸν σοφὰν λαμβοῦσαν οὐκ ἐπέλπομαι νόῳ
δρυμοῖς ὀρείοις[1]) *ὄργανον*
δῖαν Ἀθάναν[2]),
δυσόφθαλμον αἶσχος ἐκφοβηθεῖσαν,
αὖθις ἐκ χερῶν βαλεῖν,
νυμφαγενεῖ χοροκτύπῳ[3])
φηρὶ Μαρσύᾳ κλέος.
τί γάρ νιν εὐηράτοιο κάλλεος
ὀξὺς ἔρως ἔτειρεν,
ᾇ γε[4]) *παρθενίαν ἄγαμον*[5]) *καὶ ἄπαιδ' ἀπένειμε*
Κλωθώ;

ὡς οὐκ ἂν εὐλαβηθείσης τὴν αἰσχρότητα τοῦ εἴδους διὰ τὴν παρθενίαν· ἑξῆς δέ φησιν·

---

1) Sic Casaub., *ὀρείοις* V. *ὀρίοις* AB. *ὁρίοις* P.
2) Sic scripsit Schweighaeuserus, vulgo *Ἀθανᾶν.*
3) e coniectura Meinekii, vulgo *χειροκτύπῳ.*
4) e coniectura Iacobsii, libri *αἱ γάρ.*
5) Casaubonus scripsit, libri *ἀγανόν.*

Ἀλλὰ μάταν ἀχόρευτος[6]) ἅδε ματαιολόγων
φάμα[7]) προσέπταθ'
Ἑλλάδα μουσοπόλων[8]) σοφᾶς ἐπίφθονον βροτοῖς
τέχνας ὄνειδος.

μετὰ ταῦτα δὲ ἐγκωμιάζων τὴν αὐλητικὴν λέγει·

Τὰν οὖν ἐριβρομωτάταν[9]) Βρομίῳ παρέδωκε σεμνᾶς δαίμονος
ἀερθὲν πνεῦμ' αἰολοπτερύγων σὺν ἀγλαᾶν ὠκύτατι
χειρῶν[10]).

Hos versus Athenaeus e carmine Telestis, quod Argo inscriptum erat, eo consilio exhibuit, ut eos tibiarum laudis plenos proxime laudatis aliquibus e Melanippidis Marsya sumptis opponeret, quibus Minervam invenisse quidem, sed mox reiecisse tibiam narratur. Telestes autem ita tibiae laudes celebrat, ut primum Minervam vindicet eius inventricem, fabulamque istam, e qua dea tibiam modo inventam, simulatque os foedum eius lusu effici vidisset, abominata sit et Marsyae reliquerit, eo nomine refutet, quod a Minervae ingenio prorsus aliena ab obtrectatoribus quibusdam temere ficta et divulgata sit. Deinde deam refert instrumentum suum Dionysio dedicasse.

In primis versibus structura vocabulorum, siquidem integra sunt, paulo contortior haec est: *οὐκ ἐπέλπομαι νόῳ σοφὰν δῖαν Ἀθάναν λαβοῦσαν ὃν σοφὸν ὄργανον δρυμοῖς ὀρείοις αὖθις ἐκ χερῶν βαλεῖν δυσόφθαλμον αἶσχος ἐκφοβηθεῖσαν, κλέος κτλ.*, non credo sapientem divam Minervam, sapiens ut sumpsit instrumentum suum in saltibus, rursum e manibus deiecisse, veritam oris deformitatem seq. Quodsi consideramus, quam multa

---

6) coniecit Grotefendus, libri ἀναχόρευτος.

7) φάμα Schweigh., libri φήμα.

8) Sic scripsit Casaubon., libri μουσοπόλον et μουσοπόλου.

9) ἐριβρομωτάταν scripsi, Schweigh. λέγει· τὰν οὖν ἐριθειοτάταν, libri λέλεγαν οὐ μεριθοτάταν vel λέλεγαν οὐ περιθοτάταν.

10) αἰολοπτερύγων σὺν ἀγλαᾶν ὠκύτατι Casaub., libri αἰολοπτερύγων συναγααν ωκύτατι.

hi versus comprehendant, non possumus non Telestis artificium mirari, sed facile quis dicat artificiosius esse, quam quod recte laudetur. Illud vero, quod supra diximus de eius genere dicendi, iam in primis verbis deprehendere licet. Primum enim agnoscimus vocabula accuratissime delecta esse omniumque epithetorum unumquodque suam vim obtinere. Sic σοφὸν ὄργανον tibia appellata est insolentius quidem, sed ita, ut qua sit praestantia et quo iure ad Minervam, eodem illo epitheto ornatam, referatur inventricem, luculentissime appareat. Quod ut quam maxime significetur, vel σοφόν, tibiae epitheton, iuxta id quod ad Minervam pertinet σοφάν positum est. Exquisite etiam oris deformitas tibiae lusu effecta dicta est δυσόφθαλμον αἶσχος. Non minus in sequentibus hoc cernere licet: nam quae Marsyae attributa sunt ad naturam eius declarandam optime faciunt. Nominatur autem νυμφαγενής, χοροκτύπος, φήρ. Quorum vocabulorum primo non solum stirpis eum divinae esse indicatur, sed simul etiam, quum a Nymphis orti antiqui musici, ut Orpheus, Linus, et Satyri dicantur, ad quod genus semideorum referendus sit cognoscitur. Accuratius etiam naturam eius significat epitheton φήρ, quod daemonibus semiferis et bestiarum quodammodo similibus, imprimis Centauris (Hom. Il. I, 268. II, 743. Pind. fragm. incert. 44. Dissen. Pind. Pyth. III, 4. IV, 119.), tribui solet. Deinde, quum quod libri exhibent χειροκτύπῳ aptum sensum non praebeat, coniecturam Meinekii χοροκτύπῳ recepi. Hoc enim vocabulo Marsyas dicitur saltando strepitum efficiens, quod matris Phrygiae comiti quam maxime convenit. Similiter audit Pan, alter Cybelae socius (Pind. Pyth. III, 78.), χοροποί' ἄναξ, χορευτής (Sophocl. Ai. 698. Pind. fragm. N. 67. cf. Lobeck. ad Soph. Ai. l. l.). Ceterum verba νυμφαγενεῖ — κλέος sententiam ita videntur explere, ut ad verba αὖθις ἐκ χερῶν βαλεῖν appositionis loco accedant; ut Eurip. Hec. v. 1074: πᾷ πόδ' ἐπάξας σαρκῶν ὀστέων τ' ἐμπλησθῶ, θοίναν ἀγρίων θηρῶν τιθέμενος ἀρνύμενος λώβαν, λύμας ἀντίποιν' ἐμᾶς; cf. Pflugk. ad h. l. Matthiae. Gr. §. 432, 5.

V. 8—10. causa additur, ex qua fabula ista non ina-

nis esse non possit, quippe quae a Minervae ingenio plane abhorreat. — τί γάρ νιν εὐηράτοιο κάλλεος ὀξὺς ἔρως ἔτειρεν; τείρειν quum alii affectus dicuntur, qui corpus infringunt et macerant, tum vehemens amor et hic quidem venustatis amor, cuius vis per epitheton ὀξύς indicata huic effectui bene respondet. ᾇ γε haud dubie est genuina lectio; γάρ hic post ᾇ locum non habet et facile e versu antecedente intrudi potuit.

V. 11. 12. a vaniloquis Musarum cultoribus odiosam istam fabulam inventam et divulgatam esse effertur. — ἀχόρευτος φάμα ματαιολόγων μουσοπόλων — tristis fama poetarum vaniloquorum. ἀχόρευτος φάμα non tam chororum inimica, ut Schweighaeuserus interpretatur, quam tristis fabula ex animo ab hilaritate alieno et obtrectationi indulgente profecta notatur. Verbum προσέπτ., quod alias cum dativo coniunctum videmus, hic accusativus sequitur. Sed pleraque verba cum praepositione πρός coniuncta ambigua sunt et nunc dativum, nunc accusativum requirunt; v. Matth. Gr. §. 402. b. Ceterum vere poetice illa dicta esse nemo non videt. Verba σοφᾶς ἐπίφθονον βροτοῖς τέχνας ὄνειδος ita antecedentibus annexa sunt, ut fabulam qualis sit accuratius definiant: convicium egregiae artis hominibus odiosum.

V. 13. 14. Quod hucusque contigit, ut non nisi paucis levis medela adhibenda fuerit, non etiam in his evenit. Attamen ne haec quidem ea sunt, de quibus recte corrigendis prorsus desperemus. Nam prima verba Schweighaeuserum recte constituisse puto; deinde vero, quum ἐριθειοτάταν, Casauboni περιθειοτάταν ut voce inusitata eiecta, scripserit, non minus inusitatum vocabulum proposuit. Itaque ab hoc decedens sub iis, quae in codicibus inveniuntur, puto ἐριβρομωτάταν latere, vocabulum non modo satis usitatum, sed etiam solitum tibiarum epitheton atque ceteris illis Telestis verbis convenientissimum. Iam enim versus illi sic interpretandi sunt: hanc igitur (artem) strepitu plenam deo strepitum praeter ceteros concitanti donavit sanctae deae elatus spiritus, adiutus volubilium splendidarum manuum celeritate. His ita constitutis quam non semel experti sumus Telestis ver-

borum eligendorum diligentiam etiam in illis agnoscimus, quibus id assecutus est, ut tibicinum artis et Bacchi unam eandemque indolem esse, deorumque nemini rectius ab inventrice eam tribui posse, quam huic, ipso quo utrumque expressit nomine indicaret. Sequentibus verbis, ut efferatur, unde Bacchus tibiarum artem acceperit, nominantur eae corporis partes, quibus Minerva tibiae cantum procreavit — elatus spiritus et celeres manus. Qua in re haud scio an nimio tumori poeta indulserit. Epitheta tamen manuum bene delecta sunt: alterum enim eas signat ad tibiae lusum quam maxime idoneas, agilissimas, alterum splendidas laudat Minervae manus, quum deorum omnia sint splendida et egregia. Sic in hymno in Apollinem Delium Latonae appellantur *ἀγλαὰ τέκνα.* Sed non silentio praetermittam, quamvis Casaubonum secutus *ἀελλοπτερύγων* scripserim, illud quod in libris invenitur *αἰολοπτερύγων* mihi valde arridere: *αἰόλος* enim quum saepissime usurpetur ad celeritatem rei motae significandam, bene cum *πτέρυξ* componi potuit. Quantum tamen circumspexi, vocabulum *αἰολοπτέρυγος* apud nullum Graecorum scriptorem inveni, itaque recipere dubitavi, praesertim quum reliqua vocabula in libris admodum mutilata reperiantur.

Numerus versuum satis simplex est et maximam quidem partem trochaicus vel logaoedicus, dactylis et trochaeis inter se coniunctis. Raro tantum alia metra intermixta sunt. Quod ubi invenitur, aut eo consilio factum est, ut sententiarum vis apta metrica forma exprimatur, aut ut plurium versuum ad stropham coniunctorum terminus efficiatur. Ex illo genere versus quartus est, dochmius cum iambo et antispasto, ex hoc versus tertius, adonius, qui tetrametro trochaico catalectico et dimetro troch. catal. cum anacrusi tanquam clausula accedit; atque pari modo versus nonus parvam stropham terminat. Versibus autem logaoedicis, quorum quisque maiorem ambitum et terminum in se ipso habet, clausulam facit asynarteticus.

ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ.

II.

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – . . . . . .

Athen. XIV. p. 617. B: *Κομψῶς δὲ κἀν τῷ Ἀσκληπιῷ ὁ Τελέστης ἐδήλωσε τὴν τῶν αὐλῶν χρείαν ἐν τούτοις·*

Ἢ Φρύγα καλλιπνόων αὐλῶν ἱερῶν βασιλῆ᾽ αὐ-
δὰν [1]) *ὅτις* [2]) *ἥρμοσε* [3]) *πρῶτος,*
Δωρίδος ἀντίπαλον μούσας [4]) *νομοαίολον ὀρφνᾶς* [5]),
πνεύματος εὔπτερον αὔραν
ἀμφιπλέκων καλάμοις;

Plura in hoc fragmento inveniuntur, quae medela egent, nec defuerunt viri docti, qui eam afferrent. Quo quidem munere ita functi sunt, ut quicunque ad versus emendandos accesserit novam proferre coniecturam satius duxerit, quam priorum interpretum quampiam probare. Neque hoc mirum est: nam pauci illi versus nobis servati sunt adeo ex sententiarum nexu abrupti, ut quid sibi poeta iis voluerit vix divinari possit, menda autem eiusmodi sunt, ut paucis literis sive additis sive mutatis omnia sana videantur. Omnium tamen maxime probanda Schweighaeuserus protulit, quem, quum *αὔδονος* mutaverit in *αὐδὰν ὅς* et primum versum ita interpretatus sit: Phrygem regem, qui suaviter personantium sacrarum tibiarum sonum primus aptavit etc., plane secutus sum. Collocatio quidem verborum ita contortissima est, sed quanta Telestes licentia in hac re usus sit, ex

---

1) Libri *αὔδονος*, Schweigh. *αὐδὰν ὅς*, Huschkius *Λυδὸν ὅς*.
2) *ὅτις* Boeckhius.
3) sic scripsit Grotefendus, vulgo *ἦρσσε*.
4) *μούσας* scripsi, vulgo *μούσης*.
5) sic mutavi vulgatum *ὀρφναί*, Schweigh. *ὀμφᾷ*, Huschkius *ὀμφάν*, Grotefendus *ὀρχμᾷ*.

antecedente fragmento cognovimus. ὅτις, quod Boeckhio praeeunte metri causa recepi, est qui quidem; cf. Viger. de gr. dict. idiot. c. II, 5. Vulgaris autem vocabuli forma habet ὅστις; ὅτις apud poetas, imprimis antiquos, reperitur. — ἥρμοσε... Hoc verbum proprie de lyrae fidibus ad certam harmoniam tendendis usurpatur, hic tamen de tibiae modulatione dictum est. — Δωρίδος ἀντίπαλον . . . ὀρφνᾶς appositionis loco ad vocabulum αὐδάν accedunt, cantumque tibiarum adversarium significant Doricae Musae; nominatur autem ille ἀντίπαλος νομοαίολος, adversarius agiles, hilares modos habens, dum Doricus cantus per epitheton ὀρφνᾶς taeter, austerus, tristis notatur. Verba enim ita cohaerent: ἀντίπαλον νομοαίολον Δωρίδος μούσας ὀρφνᾶς. Mira quidem est vocabulorum collocatio, sed minime a Telestis dictione abhorrere videatur, et causa apparet, de qua vocabulum ὀρφνᾶς a substantivo remotum iuxta νομοαίολον positum est. Sic enim nota ista cantus Dorici luculentior et fortior evadit et quantopere tibiae lusus praestet magis significatur. Eodem fere modo vidimus in primo fragmento σοφόν iuxta σοφάν cum vi quadam collocatum esse. Haec interpretatio, qualiscunque est, eo certe commendatur, quod librorum vestigia minus, quam aliae, relinquit. Nam quum ὀρφναί mutaverimus in ὀρφνᾶς, Grotefendus proposuit ὀρχμᾷ, quo sensui etiam minus consultum est. Huschkius autem coniecit ὀμφάν, quod Schweighaeuserus, quum recte iudicaverit sensu carere, mutavit in ὀμφᾷ, totumque locum ita interpretatus est: Doricae Musae aemulum, volucrem auram varias modulationes admittentem per spiritus flatum arundinibus complectens. Sed vocabulum ὀμφά spiritus flatum significare neque demonstravit, neque demonstrari posse censeo. Verbis πνεύματος . . . καλάμοις quomodo tibiae cantum ediderit describitur: nam qui spiritus volucrem flatum calamis complectitur ipsas inflat tibias.

Totius igitur fragmenti haec est interpretatio: An Phrygem regem (verbum ex antecedentibus supplendum erat), qui quidem primus modulatus est cantum pulcre sonantium sacrarum tibiarum, hilarem aemulum tristis Do-

ricae Musae, spiritus volucrem flatum calamis complectens?

Metrum simplicissime ex trimetris dactylicis compositum est: terni enim trimetri versum faciunt atque eiusmodi versus plures repetuntur.

III.

– –́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏖́ ⏑ – – –́ ⏑ –
– –́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏓
–́ ⏑ ⏑ – ⏓

Athenaeus XIV. p. 626. A.: *Διὸ καὶ Τελέστης ὁ Σελινούντιός φησιν·*

Πρῶτοι παρὰ κρατῆρας Ἑλλάνων[1] *ἐν αὐλοῖς*
συνοπαδοὶ Πέλοπος ματρὸς ὀρείας
Φρύγιον ἄεισαν νόμον·
τοὶ[2] *δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς*[3] *κρέκον*
Λύδιον ὕμνον.

Hos versus, quum Athenaeus non addiderit, e quo carmine servati sint, ex eodem esse suspicamur, quo antecedens fragmentum petitum erat. Argumentum certe huic simillimum habent. Laudantur enim Pelopis comites, qui in Graecorum conviviis primi Phrygium Cybelae modum tibiis extulerint, dum alii pectidibus Lydium hymnum cecinerint.

τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων . . . ὕμνον. Pectis fuit instrumentum fidibus contensum, a magadide aut omnino non diversum aut eo huic simile, quod plectro non adhibito nudis digitis pulsabatur (Athen. XIV. 635. B.). Huic con-

---

1) vulgo Ἑλλήνων.
2) τοὶ A. τοῖς B. P.
3) sic P. V. ψαλμοὶ A. B.

sentaneum est, quod Telestes dixit *ψαλμοῖς κρέκων*: *ψαλμός* est enim pulsatio solis digitis effecta. Lydiae harmoniae aptissimam fuisse pectidem, quam vel invenisse Lydos et imprimis usurpasse relatum est, ex epitheto *ὀξυφώνοις* intelligitur (cf. Athen. XIV, 635. C. 636. A. B. Bergk. Anacreontis carm. reliq. p. 85.). *ὀξυφων.* autem non tam ad *ψαλμοῖς* pertinere quam ad *πηκτίδων* vix est quod moneam: neminem enim haec epithetorum traiectio offendet, quae e solito Graecorum poetarum more facta est (cf. Timoth. fr. XIII.).

Metrum horum quoque versuum valde simplex est. Videmus enim versum ex ionicis a minori compositum trochaicis admixtum, clausulamque per adonium effectam.

ΥΜΕΝΑΙΟΣ.

IV.

– –́ – – – –́ ⏑ –
⏖́ ⏑ – ⏖́ ⏑ – ⏖́ ⏑ –
× – –́ – – – –́ ⏑ – –
× ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏓

Athen. XIV, 637. A.: *Τελέστης δ' ἐν ὑμεναίῳ διθυράμβῳ πεντάχορδόν φησιν αὐτὴν (μάγαδιν) εἶναι διὰ τούτων·*

Ἄλλος δ' ἄλλαν κλαγγὰν ἱεὶς
κερατόφωνον ἐρέθιζε μάγαδιν
ἐν πενταῤῥάβδῳ[1]*) χορδᾶν*[2]*) ἀριθμῷ*
χεῖρα καμψιδίαυλον ἀναστρωφῶν[3]*) τάχος.*

Hoc igitur fragmentum e carmine nuptiali servatum est, quod, quum Athenaeus appellet *ὑμέναιον διθύραμβον*, luculentissimum exemplum habemus eius, quod supra diximus, dithyrambi nomen latissime patuisse carminibusque diversissimi argumenti tributum esse. — *ἐρέθιζε* aut

---

[1]) Sic scripsit Casaubonus, libri *πενταράβδῳ* et *πενταράβῳ*.
[2]) *χορδᾶν* Porsonus, vulgo *χορδάν*.
[3]) sic Eustath. p. 1108, 1., vulgo *ἀναστροφῶν*.

tempus est praeteritum (neminem autem iure offendere potest, quod dithyrambicus augmentum non adhibuit), aut praesentis imperativus, quod Hermanno placuit (ad Aristot. poet. I, 2. p. 89.). Itaque versus illi aut eo occupati sunt, ut exemplum splendide actarum ac lusibus musicis ornatarum nuptiarum celebrent, aut ipsa iis inest adhortatio hymenaei impigre canendi. ἐρεθίζειν μάγαδιν, titillare magadidem, quasi instrumentum digitorum pulsum sentiret atque ex hoc sensu sonum ederet, satis mire dictum est. κερατόφωνος magadis appellatur, quod cornu fabricari solebat. Ceterum magadis quale fuerit instrumentum, difficile est dictu. Boeckhius ex iis, quae Athenaeus confusius de ea protulit, haec eruit (de metr. Pind. p. 260.): magadidis nomine et tibias et instrumenta fidibus contensa significata esse, quae duo diapason, alterum gravius, alterum acutius, eandem sonorum divisionem servantia continuissent, atque ad magadidem ludendam utraque manu opus fuisse. Iam illud cuius Telestes mentionem fecit instrumentum fidibus intensum fuisse e sequentibus verbis apparet, quibus eius lusus accuratius sic describitur: in quinque chordarum numero manum reciprocam celeriter versans. χεὶρ καμψιδίαυλος est manus cursum reciprocans, cui respondet illud, a quo verbo pendet, ἀναστρωφῶν. Sed epitheton πεντάῤῥαβδος non exiguas difficultates movet; nam si, quod Athenaeus docet, idem significat, quod πεντάχορδος, non perspicitur, quomodo magadidi attributum sit, instrumento duo diapason continenti. Quare Boeckhius Athenaeum errore lapsum esse, nos autem veram vocabuli vim assequi non posse statuit. Sed haud scio, an Athenaeus verum dixerit et magadis quinque chordis tensa ita intelligi possit, ut soni non iam fidium tensione dati citharistae arte procreati sint. Vidimus enim supra illis temporibus apud Graecos ea fidium instrumenta in usu fuisse, quibus, quum ex una chorda plures soni elici possent, per paucas chordas magna sonorum copia efferretur. Quin eiusmodi instrumento quinque chordis tenso Phrynidem cognovimus usum esse. Suspicamur igitur Telestem simile instrumentum laudasse nomenque ei magadidi propterea dedisse, quod haec quo-

que maiorem sonorum numerum haberet reliquis lyris. Ad quam coniecturam firmandam non parum facit, quod magadidis illius lusum eximia digitorum dexteritate effectum esse verba declarant: *χεῖρα καμψιδίαυλον ἀναστρωφῶν τάχος.*

Notandus est autem numerus versuum. Mirum enim in modum metra plane diversa coniuncta, levissimaque gravissimis adiecta sunt.

V.

Athenaeus XI. p. 501. F.: *Θεόπομπος δ' ἐν Ἀλθαίᾳ ἔφη· Λαβοῦσα πλήρη χρυσέαν μεσόμφαλον φιάλην· Τελέστης δ' ἄκατον ὠνόμαζέ νιν. ὡς τοῦ Τελέστου ἄκατον τὴν φιάλην εἰρηκότος.*

GOTHAE
TYPIS OFFICINAE DVCALIS ENGELHARDO-REYHERIANAE.